This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600074659.

600074659.

261.

DE

CAPITOLIIS IMPERII ROMANI

SCRIPSIT

OSCARUS KUHFELDT,
DR. PHIL.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXIII.

DE

CAPITOLIIS IMPERII ROMANI

SCRIPSIT

OSCARUS KUHFELDT,
DR. PHIL.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXII.

331.

BODLEIAN LIBRARY
14 'APR 83
OXFORD.

HENRICO JORDANO

PIO GRATOQUE ANIMO

OBTULIT

SCRIPTOR.

Capitolium Romanum postquam diu et acriter a viris doctis disceptatum est utrum fuerit in montis parte ad meridiem conversa an in arce cum nostris temporibus controversia composita sit ita, ut nemini dubium esse possit quin eo montis loco templum fuerit qui proprium Capitolii nomen haberet[1]), operae pretium videtur esse accuratius perscrutari quae supersint vestigia Capitoliorum orbis Romani.

Quod aggredi si audeo primum venia mihi petenda quod fortasse minus praestitero quam qui legent exspectabunt. Res enim topographicae cum ubique fere pendeant ex effossionibus, ut ita dicam, instituendis neque provinciarum antiquitatum usque ad nostra tempora a viris doctis ea qua opus est ratio habita sit, saepius ut ad certum iudicium vocarer fieri non potuisse nemo non mihi concedet. Nihilo setius quaestionem suscepi suadente H. Jordano qui qua est semper comitate et humanitate in studiis discipulorum adiuvandis non solum mea causa viros doctos litteris adiit ut ubi inopia praesidiorum haesitaremus de iis nos certiores facerent sed ipse libros quos nostra in bibliotheca nobis non licuit cum Berolini versaretur inspexit.

Tali igitur auxilio usus quaestionem ita auxisse mihi videor ut Capitoliorum maiorem quam antea factum erat numerum investigarem nonnullorumque vestigia novis testimoniis afferendis firmarem. Licet igitur non plane cumulateque soluta sit, certe provecta est ita, ut de origine Capitoliorum provincialium certum iudicium ferri possit.

Sed antequam ipsum argumentum persequar ratio videtur postulare ut quibus praesidiis nisus ad rem explicandam accesserim quique ante nos eadem in quaestione versati sint paucis exponam. Neque quaedam indigna sunt quae proludendo commemorentur

---

1) vd. H. Jordani epist. ad Lancianum annalibus inst. arch. a. 1876 insertam nec non Topogr. urbis Romae vol. I 2 p. 65 sqq.

quo melius quam rationem quaerendi inierimus appareat. Quam ob rem primum agemus de fontibus, deinde de Capitoliis Italiae provinciarumque, denique cultus triadis Capitolinae originem adumbrabimus.

I. De fontibus.

Ac praesidiorum quidem quibus quaestio nostra continetur quinque omnino videmus esse genera, quorum primum est inscriptionum, secundum nummorum, tertium veterum rerum scriptorum, quartum actorum sanctorum, quintum instrumentorum medii aevi tum ecclesiasticorum tum profanorum. Atque inscriptiones, quae cum multum valeant ad omnem antiquitatem illustrandam etiam disputationis nostrae tamquam fundamentum sunt, quod omnes in corpora redactas nondum habemus ego quoque valde doleo. Neque vero quamquam, ut alia omittam, totius mediae Italiae titulos collectos desideramus multo plura ad Capitolia cognoscenda ex iis fore ut enucleentur puto. Mirum autem verboque monitu dignum videtur esse quod tituli quibus tres dei Capitolini coniuncti commemorantur prae aliis titulis sacris rarius quam exspectaveris nobis occurrunt. Quos cum facillimum sit ex corporum inscriptionum indicibus colligere, eos hoc loco congerere iure supersedere me posse arbitratus sum, cum praesertim id mihi agendum existimarem ne commentatio in molem ingentem exscresceret. Quod modo dixi de lapidibus tribus deis positis idem maxime cadit in titulos quibus Iuppiter optimus maximus Capitolinus commemoratur; qui tam raro nobis obvii sunt, ut quater tantum vel quinquies quod sciam reperiantur. Neque tamen is sum qui istius modi inscriptiones ubi reperiantur ibi Capitolium fuisse existimem. Tituli enim votivi nullo exstante templo poni poterant, id quod imprimis factum videmus a militibus in remotis saepe imperii Romani partibus aram cuilibet deo statuentibus. Quam ob rem nisi alia accedunt testimonia vel templorum reliquiae, cavendum ne nimis creduli talibus inscriptionibus plus aequo confidamus. Hanc igitur regulam secuto contigit mihi ut ex lapidibus cum Latinis tum Graecis Capitolia eruerem haec: Ostiense Histoniense Marruvinum Pompeianum (?) Faleriense Faesulanum Veronense Hispalense Carthaginiense Bibense Suense (?) Thuggense Thevestinense Thamugadense Lambaesitanum Uzelitanum Cirtense Sitifense Nysaeum Teum Smyrnaeum. —

Sequuntur nummi qui in Graecia et Asia cum inscriptiones Latinae reperiantur perpaucae maximam habent auctoritatem. Itali enim in civitatem recepti cum nummos cudere vetiti indeque ab Augusto aes aureum argenteumque feriundi potestas facta esset imperatoris, tamen aes argentumque signare magni nominis oppidis velque coloniis Graeciae et Asiae permissu imperatoris aut proconsulis concessum erat[2]). Neque vero libros nummarios quos ediderunt Vaillantius Eckhelius Mionetius excutienti contigit mihi ut plus unum certa quadam fide exemplum eruerem, dico templum Iovis Capitolini Antiochiae, quae urbs est Cariae[3]).

---

[2]) cf. Marquardt. enchir. II p. 36 — Pinderum in actis Acad. litt. Berol. a. 1855 p. 538 sq.

[3]) Memoratu dignum virisque doctis minus notum videtur esse quod in nummis Aphrodisiade et Heliopoli cusis ludorum Capitolinorum mentio fit ita, ut illi quin ibi acti sint dubitatio moveri nequeat. Ecce nummus Aphrodisiensis Gordiano III regnante cusus: *Ἀφροδεισιέων*; in urna magna quae est in mensa quadrata scriptum est: *Γορδιανεῖα Ἀτταλεῖα* et in margine mensae *Καπετώλια*; cf. Mionet. vol. III p. 329 n. 152; Eckhel. D. N. vol. IV p. 435; 437; Vaillant. Numism. vett. impp. p. 149. Attalea in honorem Attali Philadelphi, Gordianea in Gordiani Pii Aphrodisiade edita esse praeter alterum nummum apud Mionet. vol. III p. 330 n. 159 docet titulus C. I. Gr. vol. II n. 2801. Certamina igitur quae cum iis coniungantur Capitolina Aphrodisiadem spectare quis non intellegit? — Nummi autem Heliopolitani sunt hi:

1. nummus Caracallae ap. Mionet. vol. V p. 299 n. 108: in fronte: M. Aur. Antoninus Aug. cum capite Caracallae laureato; in parte aversa: Col. Iul. Aug. Fel. Hel. cum tribus urnis agonalibus palmatis; infra „à l'exergue": Cert. sacr. Cap. Oec. Isel. Hel.
2. nummus Valeriani l. l. p. 304 n. 136: Imp. Caes. P. Lic. Valerianus P. f. Aug., in parte aversa: Cer. sac. Cap. Oec. Isel. Hel. athleta nudus stat dextra manu in urnam submissa, sinistra palmam gestans.
3. n. eiusdem imperatoris l. l. p. 305 n. 137: Sac. Cap. Oec. Ise; duo viri pallio induti et sedentes capiti quisque coronam imponunt et urnam, in qua duae palmae, manu tenent; media est ara.
4. n. eiusdem imp. l. c. p. 305 n. 138: Intra coronam magnam lauream quam sustinent duae Victoriae scriptum est: Cer. sac. Cap. Oec. Ise. Hel.; infra est urna agonalis.
5. n. eiusdem imp. l. c. p. 305 n. 139: quattuor versibus scriptum est hoc: Col. Hel. Cert. sacru. Capit. Oecu. Isel. Hel. infra est urna agonalis cum tribus palmis.
6. n. Gallieni l. c. p. 305 n. 142 Imp. Caes. P. Lic. Gallienus P. f. Aug., tres urnae cum palmis, infra quas in quattuor versibus Cert. sacr. Cap. Oec. Ise. Hel.
7. n. eiusdem l. c. p. 306 n. 143: Grandis urna cum inscriptione Col. Iul. Aug. Fel. Hel. Cert. sac. Cap. Oec. Ise. Hel.

Quoniam dixi de nummis nunc sermo fiat de rerum scriptoribus; quibus quot debeamus Capitoliorum relationes antequam exponam, quid vocabulum Capitolii significet paucis quaerere non supervacaneum esse videatur. Est enim nomen montis Capitolini ita formatum ut e. g. montis Palatini Esquilini Aventini[4]) idemque ille traxit ex templo Iovis Iunonis Minervae, quod una cum area muris circumclusa singulariter Capitolii nomine ornatum erat[5]). Quod cum ab arce ita differet ut meridionalem haec septentrionalem montis partem occuparet posteris temporibus nomine arcis ex memoria evanescente Capitolii vox tamquam pars potior ad totum montem significandum a rerum scriptoribus usurpata est. Neque vero quin illud vocabulum vere Latinum sit dubitatio esse potest[6]).

His igitur propositis Capitoliorum provincialium relationes cum ad unam omnes pendeant a scriptoribus argenteae, ut ita dicam, latinitatis, qua ratione illi vocabulo usi sint agedum inquiramus. Ac primum quidem tenendum usque ad Antoninorum fere tempora apud rerum scriptores Capitolii nomine nihil aliud nisi templum Iovis Iunonis Minervae significari. At sub exeuntem antiquitatem cum deorum Capitolinorum cultus per totum orbem Romanum disseminatus tanta auctoritate et honore uteretur ut Iuppiter Capitolinus κατ' ἐξοχήν omnis religionis Romanae sum-

---

Ludi Capitolini cum ea aetate Aphrodisiade et Heliopoli aguntur, non est cogitandum de illis qui antiquitus Romae in Capitolio fieri solebant (vd. Preller. myth. R.[3] p. 228 sq.). Rectius imitationi fuisse existimabimus ludos quos anno p. Chr. 86 Domitianus institueret, in quibus agendis certamina et musica et gymnica fuisse scimus (vd. Friedlaenderi librum cui inscripsit Sittengeschichte Roms vol. II[5] p. 437, III[5] p. 379 sq.). Aliter se habent ludi quos in colonia Iulia Genitiva Ursonensi lex coloniae Iovi Iunoni Minervae edendos curat (vd. cap. LXX et LXXI in ephem. epigr. vol. II a. 1877: duoviri . . . munus ludosve scaenicos Iovi Iunoni Minervae deis deabusque quatriduom maiore parte diei . . . faciunto). Qui cum dubium non sit quin fuerint et scaenici et circenses, iis imitando exprimi ludos magnos in honorem Capitolii Romani deorum institutos arbitremur necesse est.

[4]) cf. Jordan. Topogr. Urbis Romae vol. I 2 p. 6 sqq.

[5]) cf. Mommsenum Bull. inst. a. 1845 p. 124 sq. — Jordanum l. l. I 1 p. 282 II 496.

[6]) Corssen. libro cui inscripsit: Kritische Nachträge zur latein. Formenlehre p. 276 ita de vocis origine disserit: Capitolium ist entstanden aus Capit-al-iu-m, indem an den Stamm capit-ali- das Suffix -io trat und das a zu o sich verdunkelte wie in nōsco, i-gnō-sco, ignō-ro neben gnā-rus, i-gnā-rus, gnā-r-ig-are, indōs, sacer-dō-s, dō-nu-m neben dā. Praeterea adi H. Jordanum in Hermae vol. IV p. 246 et Topogr. U. R. I 1, 180 adn. 46.

mam repraesentaret[7]), factum videmus ut rei ecclesiasticae scriptores iterum iterumque Capitolium commemorantes religionis Ro-Romanae summam intelligerent[8]). Quodsi Iuppiter optimus maximus gubernator rei publicae Romanae et totius religionis patronus atque defensor putabatur non est cur miremur, quod Christianos ut illi sacrificarent novamque fidem denegarent in Catolium abduci solitos esse legimus. Quibus enim in oppidis Capitolium esset ut Christiani in illud templum denegandi causa ducerentur rei natura postulabat. Quam ob rem ut iis assentiamur qui ea quae de Christianorum deductionibus in Capitolium traduntur ficticia habeant a nobis impetrare non possumus. In Africa enim qui fide Christiana defecissent a Novatianis et Donatistis Capitolinos vocatos esse Pacianus ep. 2 nos edocet. Episcoporum Hispaniae concilium anno p. Chr. 305 Illiberi habitum sanxit *ne quis Christianus ad idolum Capitolii causa sacrificandi ascendat et videat; quod si fecerit pari crimine teneatur; si fuerit fidelis post decem annos acta paenitentia recipiatur*[9]).

---

7) Cum enim Romae in area Capitolii deorum maxima pars deinceps a Iove Capitolino hospitio recepta atque aedicularum circa templum numerus auctus esset ita, ut ille totius gregis deorum defensor tamquam atque propugnator existeret, non mirum videtur quod ipse totam religionem praestare dicebatur. Ceterum etiam in coloniis et municipiis aliis diis prope Capitolia aediculas factas esse infra satis docebo.

8) Ecce testimonia: Cyprian. epist. LVIIII (ed. Hartel. p. 688,1) quid superest quam ut ecclesia Capitolio cedat et recedentibus sacerdotibus ac domini altare removentibus. — Lactant. instit. div. lib. I 11,47: sciant ergo Romani Capitolium suum, id est summum caput religionum publicarum, nihil esse aliud quam inane monimentum cf. ibid. l. III 17,12: Capitolium quod est Romanae urbis et religionis caput summum. — Prudent. (ed. Dressel.) apoth. v. 444 ipsa suis Christum Capitolia Romula moerent, principibus lucere deum; cf. c. Symmachum I 625 et quascunque solent Capitolia claudere larvas. — Augustin. de civ. dei l. II 12 itane pluris tibi habenda est existimatio curiae vestrae quam Capitolii, immo Romae unius quam caeli totius? — Isid. Hisp. Etym. lib. XV c. 2 Capitolium Romanum vocatum eo quod fuerit Romanae urbis et religionis caput summum. — Zeno. tract. XIV de spirit. aedif. dom. dei (ap. Mignium patrol. lat. vol. XI § 109) Iudaei fortasse cultius synagogas aedificent, cultius erigant Capitolia. — Simili modo Tertullian. d. spect. c. 12 Capitolium omnium daemonum templum cf. adv. nat. lib. III c. 16. Huc etiam Servius spectat in commento Aeneidis lib. II v. 319: in Capitolio enim omnium deorum simulacra colebantur. Pro capite verbum usurpatur a Chalcidio in translat. Platonis Timaei (ap. Mullach. fragm. philos. Gr. vol. II p. 231) c. 221: (pars animae) tamquam totius corporis capitolium.

9) ap. Mansium coll. concil. ampl. tom. II p. 15 c. LIX. Sic concilii

Quae cum ita sint acta quoque sanctorum quibus semel iterumque Christiani in Capitolium ducti esse feruntur non omnis fidei expertia sunt neque habemus quod eorum relationes velut fictas vaniloquasque licet cautionem adhibeamus a limine reiciamus.

Sed alterum quid restat ut repellamus. Vitruvius enim, qui in architecturae libro exemplis urbis Romae utitur, ad Capitolium Romanum respiciens Iovi Iunoni Minervae ait in excelsissimo loco templa exstrui, unde maxima moenium pars conspiciatur[10]). Quod idem in provinciis, ubi loci natura daret, factum videmus[11]). At contra est ubi Capitolia in plano solo aedificata reperiamus. Iis enim in oppidis, quae in planitie erant, e. g. Capuae, Florentiae, Corinthi, Nemausi, Vesontione nisi in planitie exstrui non poterant. Inde autem quod Capitolium Romanum in editiore loco urbis exstructum et mons Capitolinus ita a natura munitus erat ut castellum quoddam praestaret, factum est ut apud scriptores satis rudes vocabulum Capitolii usum arcis vel castelli capesseret[12]).

Quae opinio per totum medium aevum ita vulgaris, ut saepe numero ei occurramus[13]), adeo non sublata videtur esse, ut etiam-

---

verba intelligenda sunt; illa enim pertinere non ad Capitolium Illiberitanum, quod voluerunt Braunius et Saglio (vide infra) sed ad quodlibet Capitolium nemo non videt.

[10]) vd. lib. I c. 7 cf. Aristid. orat. I, 6 (*εἰς Δία*): *τὰς ἀκροπόλεις ἐξεῖλον Διὶ, πρός τε τὸ τοῦ παντὸς παράδειγμα βλέποντες, ὅτι ἦν αὐτ'ς τῶν ἄκρων τοῦ παντὸς οἰκήτωρ* et orat. II 12 (*εἰς Ἀθηνᾶν*): *καὶ εἰσὶν αἱ πόλεις δῶρα Ἀθηνᾶς· ὅθεν δὴ καὶ πολιοῦχος ἅπασι κέκληται· τὰς δὲ ἀκροπόλεις ἐξεῖλον αὐτῇ δικαίως.*

[11]) Quam ob rem Capitolium ascendere ut de Capitolio Romano ita de provincialibus tamquam artis vocabulum in usu est; e. g. cf. Cyprian. lib. de lapsis patrol. Lat. cur. Migne vol. IV col. 484 et Concil. Illib. supra allatum.

[12]) vd. Hieronymi comment. in Esaiam c. 13: arx autem, id est Capitolium illius urbis; Isid. Hisp, Etym.: arx, i. e. Capitolium.

[13]) e. g. Capitolium pro castello adhibetur ab Ademaro Cabanensi histor. lib. III sub a. 1022 (apud Pertzium Mon. VI p. 145): Tunc temporis comes Andegavensis Folco, cum manifeste superare nequiret Arbertum Cenomannis comitem, dolo acciit eum in capitolium Sanctonae urbis quasi in beneficio urbem ipsam ei concederet. Et incautum et nihil mali suspicantem inclusum capitolio nefanda eum cepit. Pro ecclesia vocabulum usurpari reperies apud Pertzium Mon. vol. VIII p. 383, 43 (sub a. 1131): Gregorius multo comitatu episcoporum Leodium venit; ibi . . . usque ad capitolium sancti Lamberti ascendit, missam celebrat.

nunc viri docti nec solum Itali Capitolia pro castellis fuisse sibi persuadeant.

Tandem igitur ut error manifestus e medio tollatur Capitolium nihil nisi templum significare iterum moneo. Sed ut redeamus ad ea quae proposuimus a rerum scriptoribus commemorantur Capitolia haec: Capuanum Beneventanum Narbonense Tolosanum Augustodunense Carthaginiense Corinthium Constantinopolitanum Antiocheum Hierosolymitanum.

Nunc transimus ad acta sanctorum quae inde ab anno 1643 edere coepit Jo. Bollandius, continuaverunt, at non perfecerunt Dan. Papebrochius God. Henschenius alii. Quibus quamquam non is sum qui plurimum fidei habeam tamen prorsus ea esse neglegenda nego. At difficillimum et periculosae plenum opus aleae artem criticam iis adhibere ita, ut certum iudicium ferri queat, cum plerumque ab auctoribus anonymis incerta aetate scripta sint. Tamen hoc quidem pro certo haberi poterit breviora acta antiquiora esse quam quae miraculis fictisque narratiunculis referta vitam mortemque sanctorum enarrent. Cum autem illis brevioribus et antiquioribus actis nisi nomen Capitolii nihil commemoratum habeamus, ea quae ad recentiorem spectant aetatem vera falsis miscent et nomini Capitolii historiam aliquam fabularum mendorumque tam plenam adnectere consueveruut, vix ut quidquam certi his auctoribus de Capitolio statuendum sit. De vita enim et passione eorum qui martyrio coronati erant cum instrumentis ecclesiasticis praeter nomen mortisque brevissimam enarrationem nihil fere ad scriptorum aetatem perveniret, omnia reliqua a posterioribus vitis inserta ficta habeamus necesse est. Quod eo magis probatur quod actorum quae nos habemus maximam partem ante saeculum octavum non compositam esse satis constat.

Nihilo minus cum actorum scriptores antiquorum nomina locorum saepius certa quadam ratione adhibere sciamus[14]) ad ea respicere cogimur. Hoc ut credamus adducimur eo quod Capitolium Capuanum Narbonense Tolosanum Antiocheum cum actis sanctorum tum certis testimoniis firmare possumus.

Illorum igitur scriptores cum vera tradere neque Capitolii nomen ementiri videantur, in reliquis quae pendeant ex actorum

---

[14]) vd. H. Jordan. Topogr. Rom. vol. II, p. 448; Friedlaender. l. l. vol. I^{5}, p. 24.

relationibus exemplis rem item se habere si non certum at veri simile esse putaverim.

Exstant autem praeter ea quae modo dixi actorum SS. testimoniis Capitolia Nolae Abellini Ravennae Aquileiae Brixiae Nemausi Remis Treveris Augustae Vindelicum Caesareae in Cappadocia.

Iam superest ut de quinto fontium genere pauca verba faciamus. Antiqua enim religione exstincta cum templa aut in communem usum aut in ecclesias conversa essent, Capitolii nomen adeo in lingua vulgari viguit et ad loca antiqua adhaesit, ut non solum medii aevi emptionum sponsionumque instrumentis aut annalibus commemoretur sed etiamnunc ad ecclesias quasdam sanctae Mariae significandas in usu sit. Romae enim S. Mariae ecclesia quae nunc dicitur in ara caeli inde ab saeculo nono usque ad decimum tertium s. Maria in Capitolio dicebatur[15]). Quae quamquam non fuit loco Capitolii sed arcis Capitolii nomen cum totus mons non raro ita significaretur recte servavit. Non minus igitur certa ratione idem de ecclesiis s. Mariae quae sunt Florentiae et Coloniae Agrippin. statuemus. Cum enim quod sciam inde a saeculo undecimo usque ad hunc diem cognomen in Capitolio prae se ferant, facere non possumus quin nomen antiquum viguisse neque eo ipso tempore illam significationem ortam esse existimemus. Neque enim, quod ante id tempus non habemus istius modi testimonia, illud cognomen eius aevi a monachis doctis inventum esse quo maiorem auctoritatem ecclesiis tribuerent certo quisquam probaverit[16]).

---

[15]) vd. H. Jordan. Topogr. Rom. vol. II, p. 366; I 2, p. 112 — e. g. hic affero chartam anni 1152/53 apud Pertzium Mon. VIII p. 501, 5: Joannes Romanus qui fuerat monachus . . . et post abbas sancte Marie in Capitolio Romano.

[16]) Maximi esset momenti, si quis accuratius quae qua aetate antiqua templa in ecclesias converterentur quaesivisset; saepenumero enim occurrimus iis qui uno tamquam ictu religionem antiquam sublatam templaque ecclesias facta esse censeant. Quod inde a saeculo sexto fieri solitum concedo, ante illud tempus saepius factum nego. Primae quidem ecclesiae haud dubie in fundamentis templorum non constitutae sunt. Quamquam enim religio Christiana publica facta erat inde a Constantino regnante, tamen usque ad Theodosii magni aetatem, i. e. ad a. 379 antiqua templa plus minus servata sunt. Quae prima claudebantur templa in oriente partim propter cultus turpitudinem sublata partim a Christianis destructa sunt. Cum autem templa adire et sacrificare pagani vetarentur, templa ipsa ne delerentur decretis imperatorum identidem cautum est, cf. cod. Theod. XVI 10, 15; 18. Anno p. Chr. 408 Arcadius Honorius Theodosius lege sanxerunt ut aedificia ipsa

Usque ad saeculum duodecimum nomen Capitolii Latinum servatum esse leges nonnullae maximam partem emptionum documento sunt. Subinde vocabulum lingua Francogallica ita mutata est ut fieret Capdueil, Chatoyl, Chatol, Chatoul, Chatour, Chateur[17]).

Diximus de fontibus, unde omnis disputatio petenda sit; nunc agedum commemoremus eos qui iis usi sunt, ut iudicari possit quid nos voluerimus, quid praestiterimus. Ac princeps quidem nominandus Ducangius, qui in thesauro medii aevi latinitatis s. v. Capitolium magnum Capitoliorum numerum collegit. Cuius collectionem ad eam rationem exigere non debemus quae iure nostra aetate postulatur, quippe qui in pensitandis scriptorum testimoniis non ea quae opus est cautione utatur. Quod igitur peccavit saepe, non ipsi sed aetati vitio vertendem sit. Cuius relationem cum Braunius maximam partem nullo iudicio adhibito exscripserit, eius librum nihili esse consentaneum. Is enim anno 1849 programma emisit, cui inscripsit: „Die Kapitole, Einladungsprogramm zu der am Geburtstage Winckelmanns stattfindenden Generalversammlung von Altertumsfreunden im Rheinlande.“ Qui cum permulta quae docet ne ipse quidem perlegerit, fit ut liber erroribus refertissimus sit[18]).

---

templorum ad usum publicum vindicarentur (cf. cod. Theod. XVI 10, 19), quae lex anno 435 a Theodosio et Valentiniano ita redintegrata est ut ea quae superessent templa destrui et signo Christi erigendo expiari iuberent, cf. cod. Theod. XVI 10, 25. Verbo igitur monetur ut templa in usum publicum, non in ecclesias convertantur; quam ob rem si ecclesias in fundamentis templorum esse reperiemus, eas ad unam omnes ante quintum vel sextum p. Chr. saeculum non aedificatas esse arbitrabimur. Ad nostram quaestionem quod attinet Capitolium Carthaginiense post annum 408 pro aerario provinciae Africae fuisse scimus. In Capitolio Constantinopolitano signo Christi, quod anno p. Chr. 408 terrae motu decidisse traditur, expiato philosophi scholas habuere. Vesontione et Tolosae Christianis ecclesia non erat in Capitolio, sed prope Capitolium, ne quid dicam de Capitolio Romano, quod numquam ecclesia factum.

[17]) e. g. Narb. provinciae poeta, qui vixit sub finem saeculi XII, nomen fert Pont de Capdueil; cf. histoire générale de Languedoc par Dom. Q. Devic et Dom. J. Vaissete tom. VI p. 165. Cetera vd. infra sub. v. Narbo Martius et Vesontio.

[18]) Ne quis me cupidius in illum invehi putet, errorum exemplum addo. Quod scribit Ducangius l. l. „erant coloniae quasi effigies parvae populi Romani eoque iure habebant theatra thermas Capitolia“, id religiose suae dissertationi (pag. 3) Braunius inseruit; attamen, si Gellium evolvisset, ultima verba scribere non potuit. Gellius enim quod Ducangius tradit si scripsisset, gravissimi nominis haberemus argumentum quaestionis nostrae solvendae. Ceterum quibus complevit libri sui paginas triginta duas praeter pagg. 12—22.

Neque igitur dignus est qui nostris temporibus testis atque auctor adhibeatur; tamen si qua in eo laus est, ea est, quod primus quaestionem movit. Multo melior expolitiorque est ea dissertatio, quam Castan anno 1869 de Capitoliis conscriptam actis archaeol. Academ. Sorbonn. inseruit[19]). Optime, ne longus sim in laudando, ille vir doctus Capitolium quod fuit Vesontione pertractavit; at in ceteris rebus tam multa neglexit nec raro erravit, ut nobis quaestionem iterum adire non supervacaneum videretur[20]). Sequitur Saglionis tractatus in thesauro antiquitat. Graec. et Rom. vol. II fasc. VI s. v. Qui cum summa diligentia ut alibi sic hoc loco quaecumque scitu digna viderentur congereret, tamen quae Braunius et Castan profecerant ita conglutinavit veraque falsis commiscuit, ut nostro iure eum negligere possimus. Sic igitur res se habet, cum nos quaestionem aggressuri sumus. Materiam autem sic divisimus, ut primum ageremus de Capitoliis Italiae, deinde Hispaniae et Africae, tum Graeciae Thraciae Asiae, denique Galliae et Germaniae.

II. De Capitoliis imperii Romani.

1. Italia.

Capua.

Tiberium cum anno p. Chr. 26 Roma discessurus Capreas se conferret causam profectionis Capuae Capitolium se dedicaturum interposuisse Suetonius refert[21]). Idem Tacitus de Tiberii profectione verba facturus commemorat[22]). Inter ea, quae anno

---

adeo non ad rem pertinent, ut pro saburra ad numerum paginarum augendum videantur esse.

[19]) Sic enim inscribitur: Le Capitole de Vesontio et les Capitoles provinciaux du monde romain.

[20]) Quamquam enim inscriptiones respexit, tamen Graecas neglexit, Renieri corpus inscriptionum Afric. non ipse perlegit, quo factum est ut Capitoliorum Africae et Asiae nonnulla exempla omitteret.

[21]) Vita Tib. c. 40: Peragrata Campania, cum Capuae Capitolium, Nolae templum Augusti, quam causam profectionis praetenderat, dedicasset, Capreas se contulit.

[22]) Annal. lib. IV, c. 57: Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam, specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto sed certus procul urbe degere.

p. Chr. 40 exstiterunt prodigia, Capuae Capitolium fulmine ictum esse idem Suetonius meminit[23]).

His tanti momenti argumentis addo testimonium ex actis sanctorum depromptum, dico acta SS. Rufi et Carponii[24]).

Verumtamen passionis verba ultima parum sincera et „authentica“ sed variis inquinata sunt mendis, quae fidem minuant, neque in altero libro ms. leguntur, ut cavendum nobis sit, ne nimium autoritatis iis tribuamus. Quod enim de fine persecutionis dicitur falsissimum est, cum sub Galerio Maximino Licinio nec non Iuliano eam continuatam esse pro certo habeamus. Deinde Capitolii de incendio quod auctor passionis fabulatur ita verba Suetonii sapit, ut ad fidem narrationis augendam implicitum esse videatur. Licet autem extrema enarratio supposita sit et adulterina, tamen totam reiciendam esse vix putaverim neque plus quam Capuae tum Capitolium fuisse ex actis collegerim. Quamquam quid loquor de fide eorum, cum prae tantis illis testimoniis utrum suspecta sint annon nihil referat. Silii Italici, qui Capitolium commemorat[25]), verba quam nihili sint infra explicabimus.

Haec sunt Capitolii documenta, nunc quid ex iis colligendum sit quaeramus. Ac primum quidem cum Tacitus tum Suetonius nil nisi Tiberium Capuae Capitolium dedicasse dicunt. Aut igitur Capua usque ad id tempus eius modi templo carebat princepsque primae eius dedicationi intererat aut templum casu quodam afflictum restauratum et denuo a Tiberio dedicatum est[26]). Sed dedicare non solum de novo templo sed etiam de quolibet sive primum aedificato sive restituto dicitur. Itaque Castani sententiam, qui cum talia in provinciis templa ex gratia atque favore principum orta esse censeat[27]) Campani Capitolii Tiberium fuisse auctorem sibi

[23]) In vita Caligulae c. 57: Capitolium Capuae Id. Mar. de caelo tactum est.

[24]) Apud Bolland. A. SS. VI Kal. Sept. (mensis Aug. tom VI): Sub Diocletiano imperatore et Maximiano Caesare erat persecutio Christianorum in provincia Campaniae, in templo Capitolii Capuae .... Quae acta sunt temporibus Diocletiani imperatoris et Maximiani Caesaris et Casselliani proconsulis qui in Capitolio deserviebat diis sordidissimis. Quod Capitolium civitate Capua orationibus ss. Rufi et Carponii Christus fulmine suo interemit, et ultra non surrexit persecutio paganorum.

[25]) Pun. lib. XI 267: monstrant Capitolia celsa Stellates docent campos Cereremque benignam.

[26]) Capitolium dedicare, reficere, restituere sunt artis vocabula nec solum de Cap. Rom. sed etiam de Capitoliis imperi usurpantur.

[27]) l. c. p. 65. 76.

persuadet, adduci non possum ut sequar. Minime enim illum principem, cum parcus nec raro vel avarus fuisse tradatur, tale opus de sua pecunia exstruendum curasse crediderim, quippe qui ne Romae quidem opera magnifica perficeret[28]). Sed utut res se habet, hoc constat, Tiberii aetate Capuae templum Iovis Capitolini fuisse[29a]). Ex Silii verbis Castan p. 65. 75 loco editiore templum stetisse concludit neque aliter iudicat Belochius[29b]). Ego contra meras esse nugas puto, siquis ex poetae verbis illud efficere velit. Silius enim materiam historicam ex Livio deprompta suis ipsius inventionibus poeticis miscuit atque ornamento mythologico ex Vergilio maximam partem hausto nec raro male adhibito deturpavit atque confudit[30]). Itaque illud Silii: „monstrant Capitolia celsa", cum spectet ad Vergil. Aen. l. VIII 653: „stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat", ille poeta nobis testis locupletissimus esse nequit. Accedit quod antiqua Capua erat tota in planitie, ubi nunc S. Maria di Capua, quo fit ut Capitolium in planitie fuisse censeamus. Perverse autem Belochius templum in excelso loco fuisse cum Silio auctore sibi persuadeat neque intra oppidi muros collis reperiatur, illud extra urbem in Tifatini montis radicibus ponendum statuit[32]). Quod quo melius probet Tacitum, qui templum apud Capuam Iovi Tiberium dedicasse ait, ad partes suas vocat. At ille cum dicit „apud" Capuam idem significat quod Suetonius, i. e. Capuae; praepositione enim apud saepissime utitur, ubi nos exspectaremus „in" aut in nominibus oppidorum secundum praeceptum genetivum[33]). Quae opinio quam falsa sit solo ex inter-

[28]) cf. Sueton. v. Tib. c. 47.

[29a]) Neque vero quid sibi velit Belochius intelligo, cum censeat inde quod Silius bellum Punicum describens Capitolii meminerit, illud Capuae fuisse antequam Romani urbem suae ditionis facerent apparere. Hoc igitur tenendum temporibus Capuae liberae Capitolium exstitisse a nullo demonstrari posse.

[29b]) Liber eius inscribitur: Topographie, Geschichte und Leben der Umgebung Neapels im Altertum, Lips. 1879. vide infra adn. 32.

[30]) cf. Io. Schlichteiseni dissertationem de fide historica Silii Italic (Regimontii a. 1881).

[31]) cf. Cic. d. lege agr. II c. 35 § 96 Capua planissimo in loco explicata ac praeclarissime sita.

[32]) cf. l. c. p. 360: das Kapitol lag also aufserhalb der Stadt. Ein K. in der Ebene können wir uns nun schwer vorstellen, und in der That bezeugt uns Silius die Lage auf einer Höhe. Die nächste Erhöhung des Bodens bei Capua sind aber die Vorhügel des Tifata, und hierhin wird also das K. zu setzen sein.

[33]) Hic praepositionis usus non reperitur in Taciti scriptis minoribus,

vallo apparet; abest enim ab urbe mons Tifatinus duo circiter milia passuum[34]). Cuius extremis in radicibus, in pago qui nunc Piedimonte dicitur, prope urbem Casertam iam exstat' S. Petri ecclesia ex magnifici templi antiqui reliquiis exaedificata, ubi Capitolium fuisse vulgo putatur. Quod spatium cum ipsi Belochio maius videatur templum ad urbem accersiturus fortasse fuisse suspicatur in monte, qui nunc nomen prae se fert Costa delle Monache, cum praesertim Casanova, oppidulum haud procul distans, medii aevi actis publicis Casa Iovis appellata sit. Sed de istius modi opinionibus nugatoriis hactenus. Transimus ad eos qui templum oppidi antiqui intra muros quaerendum esse persuasos se habeant. Quorum iudicia quamquam ad verum investigandum nihil fere afferunt tamen hoc habent laudis, quod aliquid sanae mentis prae se ferre videntur. Caesarius Costa archiepiscopus inde ab anno 1572, qui primus topographiae et antiquitatibus patriae urbis operam dedit et in Michaeli Monachi Sanctuario Capuano formam veteris oppidi emisit, Capitolium ponit non longe a cryptoporticu et theatro, qui locus nunc appellatur La Torre di S. Erasmo. Quem sequitur Franciscus Maria Pratilli, qui fuit ab anno 1684 usque ad a 1771. Illum cum constet inscriptiones inventionumque relationes mentitum operibus suis[35]) immiscuisse, recte Mommsenus inscriptiones ab eo relatas solo tamquam dubias refutavit[36]). Iuxta turrim S. Erasmi anno 1740 detectam esse Pratillius testis est hanc inscriptionem: [d]ianae Capitolinae[37]). Ipse addit in actis publicis medii aevi se legisse prope turrim Capitolii, prope ecclesiam S. Erasmi in Capitolio. Mazzocchius autem quibus de causis ibi potius quam alibi Capitolium quaeratur se nescire profitetur[38]). Anno 1665 Capuae haud procul a theatro repertum est opus anaglyphum, quod etiam nunc Capuae conservatur[39]). Qua in tabula Iuppiter sedens

---

in historiis quinquies, saepissime in libris ab exc. Aug., cf. Draegeri synt. Tacit. p. 36 et Nipperdeium in commento ann. lib. I 5.

[34]) Si Belochius templum Iovis Capitolini idem esse censet atque Iovis Tifatini, eum credere non veto; at Iuppiter Tifatinus non est Capitolinus.

[35]) Via Appia prodiit Neap. a. 1745, Consulares Campaniae a. 1757.

[36]) vd. I. R. N. p. 185. 186.

[37]) Via Appia p. 288. Idem magnum columnarum ornamentorumque numerum suis temporibus iam exstare addit l. c. p. 278. 287. Sed cum illis ex reliquiis nihil iam reliquum sit vel ementitus est vel omnia perierunt.

[38]) In mutilum Camp. amphith. tit. p. 258.

[39]) Mabillon. Mus. ital. p. 103; Mazzocch. l. c. p. 258sq.; Winckelm.

est medius, a dextra Minerva stans, galea et aegide induta manuque hastam gestans, a sinistra Diana stat pharetrata et hastata, non Juno. En igitur hoc testimonium, deos Capitolinos ab Etruria advectos ita se coniunxisse, ut Romae Iovis a partibus staret Iuno, Capuae Diana! Minime. Etenim ut taceam Tuscos regnum ita extendisse olim, ut vel Campanis imperarent, nondum satis constare, triadem Capitolinam ex Etruria originem duxisse Ottfr. Muellero auctore magis credunt viri docti quam probant. Quod enim Iunonis locum in tabula tenet Diana, causa facillima intellectu. Saepenumero enim alios cultus cum Capitolino coniunctos reperies[40]). Quae copulatio plerumque pendet a loci natura vel causa est singularis velut in colonia Ursonensi. Sic etiam intelligendum, quod nostra tabula Diana pro Iunone obvia fit; illa enim Capuae et in Campania magni nominis cultum habebat et in monte Tifatino templo magnifico utebatur[41]). — Quoniam Romanorum aetate Capuae Capitolium fuisse demonstravimus, restat ut paucis qua condicione urbs fuerit inquiramus. Ager Campanus secundo bello Punico cum oppidum a Romanis expugnatum esset civitate dissoluta publicus p. R. factus est ita, ut ante coloniam eo deductam Capua centum quinquaginta fere annos in pagi condicione versaretur. Deduxit autem primus eo coloniam Caesar[42]), quam subinde Augustus aliique imperatores suppleverunt[43]). Erat igitur una ex coloniis militum. Romanorum aetate oppidum valde auctum multitudine hominum abundasse videtur[44]). Certe Ciceronis aetate quasi caput provinciae Romam

Storia III tab. 13. Pluribus de hac tabula disputavit Raoul-Rochettius in altera effossionum Cap. relatione, quam inseruit libro qui dicitur Iournal des Savants a. 1853 p. 280 sqq.

[40]) e. g. in Col. Iulia Genit. Urson. Iovi Iunoni Minervae additur cultus Veneris. Causa quod Venus ibi tanto honore utitur non est fortuita sed illustratur, si reputamus, quantum venerationis gens Iulia Veneri tamquam matri genetrici obtulerit. Alia si voles exempla cum in corpore inscript. Lat. tum in tabulis pictis reperies plurima. Nonnulla habes apud O. Iahnium' Symb. arch. excursu altero. Ex quibus non solum ad triadem Capit. unum aut plures deos saepe accessisse sed ipsam ita commutatam esse videmus, ut vel Iuppiter cederet eiusque locum alius deus, e. g. Hercules seu Mercurius, obtineret. Hoc secum reputans quo modo quis aliter iudicare possit quam triadem Capit. imitationem habuisse ego non video.

[41]) Momms. I. R. N. 3575.

[42]) Lib. col. ed. Lachm. p. 231, 19; Sueton. Caes. 81.

[43]) Momms. I. R. N. praef. tit. Cap., Zumpt. commentat. epigr. vol. I p. 304. 353.

[44]) Ottfr. Muellerus Etr. I² p. 165 frequentiam et urbis magnitudinem ex dominatione Etruscorum profectam esse censet; sed ut plurima quae libro

ipsam aemulabatur et imitabatur[45]). Bello enim sociali confecto cum omnes Italiae urbes ius aequum et par adeptae essent et Roma, quae ante id tempus metropolis et communis tamquam patria omnium fuerat, ex urbe principe prima inter pares facta esset, provinciarum praecipua oppida ut Roma totius imperii metropolis ita altera quaedam parva suae provinciae Roma et esse et appellari volebant, cum nullo modo insignius possent laudari.

Nola.

Capitolium Nolanum nisi actis sancti Felicis presbyteri nusquam quod sciam commemoratur. Ac duo quidem fuerunt qui s. Felicis nomen prae se ferrent, quorum alterum presbyterum Nolanum[46]) Paulinus tot laudibus extulit et cuius vitam mortemque Gregorius Turonensis lib. I de gloria martyrum cap. 104 pluribus descripsit.

Alter s. Felix, qui actis presbyter Romanus dicitur, vixit atque diem supremum obiit Nolae[47]).

Quorum acta quamquam „veteribus libris mss.“ tradita feruntur tamen ad nostram quaestionem, cum alio loco Capitolii non mentio fiat, certam fidem praestare non possunt. Sic igitur cum alia oppida respexerimus, Nolae tale templum fuisse non sine veritatis specie esse sed ex illis actis nullo pacto effici posse existimabimus. Cum autem topographiae Nolanae usque ad hunc diem viri docti operam non impenderint, hac in re acquiescere nos oportet, cum praesertim Ambrosius Leo Nolanus, cuius rerum Nolan. liber a 1517

---

continentur etiam hoc est ingeniosi viri opinatio, quae nullo argumento firmatur.

[45]) Cic. d. leg. agr. II 32: tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quaeretur; Philipp. orat. XII 3 § 7 quem ad modum nostrum hoc consilium Capua probabit, quae temporibus his Roma altera est; de leg. agr. II 34 Cicero de colonia a. L. Considio et Sex. Saltio Capuam deducta sed anno post sublata disserens colonorum superbiam ita describit: cum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se praetores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse consulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores, non cum bacillis sed ut hic praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus. Erant hostiae maiores in foro constitutae . . . deinde patres conscripti vocabantur; cf. Auson. de clar. urb: illa potens opibusque valens Roma altera quondam.

[46]) Acta s. Felicis, confessoris presbyteri Nolani, ap. Bolland. XIX kal. Febr. (mens. Ian. tom II, p. 219 sqq.).

[47]) ibid. p. 232 sqq.

Venetiis prodiit, et Giov. Remondini Capitolii ne verbo quidem meminerint. Sed redeamus unde digressi sumus. Ex duobus qui appellabantur s. Felices, Adonem, qui utriusque acta confusa in unam relationem conglomeravit[48]) si neglexeris, s. Felicem Romanum solum ad nos pertinere cognosces. Cuius actis, cum Nolae vixerit atque mortuus sit, quin illud Capitolium significetur non dubium videtur esse[49]). — Antiquum oppidum erat eodem loco quo Nola quae nunc est idque in planitie[50]). Itaque si Capitolium habuit illud in plano solo fuisse verisimile est. Cum Sulla anno a. Chr. n. 80 Samnium subiceret, in iis erat oppidis, quae ei diutissime maximeque resisterent. Tandem urbe a praesidio deserta atque deleta dictator agros militibus adsignavit[51]), sed coloniam ibi constituisse non videtur, cum Cicero bis in lege contra Rullum agraria praecipuas Campaniae urbes enumerans Nolam silentio praetereat. Cum autem primis imperatorum saeculis urbem non parvi nominis fuisse sciamus, revocanda videtur esse eius magnitudo ad Augustum, qui eo coloniam, quam subinde Vespasianus supplevit, deduxit et cum esset patria sua ornavit atque auxit[52]).

Pompeii.

Vitruvii verbis[53]) confisi Castan l. c. p. 66 et qui illum secutus est Saglio Pompeiis templum Capitolinum fuisse statuerunt. Idem et ego quamquam alias ob causas puto. Ac primum verba Vitruvii

[48]) cf. ibid. p. 220 § III.

[49]) l. c. p. 233 § 1: B. Felix presbyter .. ante praesidem Draccum adductus, cum multa de portentis deorum, quod nihil essent, disputaret, eumque praefectus immolare impelleret, respondit: Inimici estis deorum vestrorum; ad quaecunque enim me deorum vestrorum templa duxeritis, hoc eis eveniet, quod evenit illis, ad quem meum fratrem Felicem vos duxisse paenituit. Sed si vultis probare virtutem domini mei Iesu Christi, me ad Capitolium ire iubete, ut ipsum Iovem principem daemoniorum vestrorum ruere faciam.

[50]) Liv. lib. XXIII 45: Nolam, campestrem urbem, non flumine, non mari saeptam; cf. Sil. Ital. XII 162.

[51]) lib. col. p. 236, 3; Zumpt. l. c. p. 254.

[52]) Merito igitur in numero est duodetriginta coloniarum quas Augustus se ipsum in Italia deduxisse profitetur Mon. Ancyr. I 36. Colonia dicitur I. R. N. 1985. 1997.

[53]) lib. III 2: In araeostylis autem nec lapideis nec marmoreis epistyliis uti datur, sed imponendae de materia trabes perpetuae et ipsarum aedium species sunt barycephalae humiles latae ornanturque signis fictilibus aut aereis inauratis eorum fastigia tuscanico more, uti est ad Circum Maximum Cereris et Herculis Pompeiani, item Capitolii. Sic enim ut intercidatur ipsa

ab utroque male intellecta esse moneo. Ille enim, cum esset architectus Augusti et Romae versaretur, exempla aedificiorum et monumentorum non ex toto orbe congessit sed iis quae Romae erant ad verum probandum semper usus est. Itaque varias aedium species describens araeostylorum fastigia templorum Tuscanico more ornanda esse ait signis fictilibus aut aereis inauratis. Exemplo esse aedem Cereris ad Circum Maximum, aedem Herculis a Pompeio ibidem aedificatam, aedem Iovis Capitolini. Mirum autem esset, si duobus exemplis Roma depromptis tertium aliunde sumere cogeretur. Pompeium Magnum aedem Herculis ad Circum Maximum dedicasse, quamquam plura de illo templo scire non datur, pro certo haberi potest[54]).

Pompeiani fori in parte septentrionali magnis substructionibus aedificium se attolit ita, ut toti foro immineat. Illud templum fuisse non curiam, aerarium vel senaculum, ut quidam viri docti voluerunt, nunc satis constat[55]). Nec solum templum fuisse sed etiam maximum et magnificentissimum inde apparet, quod opportuno loco forum, illam urbis partem gravissimam, superabat. Quam ob rem Iovis Capitolini templum fuisse veri non ita dissimile videtur[56]).

---

rei natura postulat; errant igitur qui interpungere velint sic: ad Circum Maximum Cereris et Herculis, Pompeiani item Capitolii.

[54]) Plin. h. n. XXXIV 57: Herculem qui est apud circum Maximum in aede Pompei Magni; cf. Beckerum Topogr. Rom. p. 477. De Rossius, qui primus multis Herculis aedibus sacris distinguendis operam navavit dissertatione quam inscripsit: dell' Ara massima e del tempio d'Ercole nel foro Boario et monum. Annal. bull. inst. arch. a. 1854 inseruit, ibi p. 33 ita disserit: Perocchè l'appellazione di aedes Pompeii Magni e di Hercules Pompeianus stimo appunto adoperata per distinguere questo tempio dall' altro più famoso rotondo sito anch' esso appo il circo massimo; l'istoria del quale che ora m'accingerò ad indagare, e sopratutto la forma ed architettura diversissima da quella che accenna Vitruvio, non consentono inguisa veruna a Pompeo, che possa esserne creduto il fondatore.

[55]) Overbeck. Pomp. p. 89: Für seine Bedeutung als Tempel spricht die Lage auf dem schönsten Bauplatze der Stadt, seine Orientirung nach der tuskischen Auguraldisciplin, seine gesammte, sehr charakteristische Anlage, die Säulenhalle mit der hinter ihr liegenden Cella, das Vorhandensein der gewölbten favissae zur Aufbewahrung des Tempelgeräthes. Omitto, ne multus sim, quod Nissen. Stud. Pomp. p. 322 de usu aedificii dixit, quippe qui ut saepius ita hoc loco ingenio frenis datis parumque veri similitudinis ratione habita varias de templi usu sententias facillime copulandas censeat.

[56]) Templum pluribus describere omitto, cum accurate descriptum habeas

Anno 1817 in cella tabulae votivae pars inventa est, quae altera parte a Fiorellio reperta nunc paene tota exstat. Titulus Iovi optimo maximo Caligula regnante intra annos p. Chr. 37 et 38 positus hic est: I. [o] m. | pro salute [C. Ca]esaris Augusti | German[ici] [i]mp. pontif. max. | tribunic. p[ote] stat. consulis | ..... octus. p. s.[57]). Eodem anno eodemque loco signum Iovis eximiae magnitudinis detectam esse effossionum relationes tradunt[58]). Hoc simulacrum idem esse quod nunc sit in Mus. Neap. conclavi quod dicitur Tiberii, vulgo putant; at hoc est marmoreum, illud ex lapide alabastrite factum, ut dubium sit num alterum alteri respondeat[59]). Romae in Capitolio templum, quod Catulus dedicaverat, tres cellas habebat duobus parietibus inter se secretas[60]). Nec potest dubitari, quin in templi parte adversa tres fuerint portae, cum Scipio Capitolium prima luce ascendisse et cellam Jovis sibi reserandam curasse feratur[61]). At contra in illo templo Pompeiano aliter res se habere videtur; ibi enim non tres sed una porta latissima cellae introitum aperuisse videtur, id quod nisi Pompeiis deos Capitolinos coniunctos cultos esse declarari non poterit[62]). Tres favissae, quae sunt in parte cellae postica usque ad medium parietem aversum pergentes pro thesauro et basi triadis fuisse vulgo putantur, cum inter se duobus parietibus disiungantur[63]).

Quae cum ita sint, templum Iovis Capitolini fuisse si non verum at veri simillimum videtur[64]). Quod quando aedificatum

---

apud Overbeck. Pomp. p. 62, 65, 89—92; ap. Nissen. Stud. Pomp. p. 320 sqq. et Templ. p. 142, 209; ap. Mazois et Gau „ruines de Pomp.“ vol. III, p. 48—50, ubi cf. formam XXX—XXXVI.

57) cf. I. R. N. 2212; Nissen. bull. 1866 p. 7.

58) Hist. ant. Pomp. I 3, p. 190: una testa di alabastro anche colossale di un Giove di un bellissimo carattere e con vari frammenti ad essa appartenenti.

59) Overbeck. l. c. p. 89, 342 adn. 18; p. 561 adn. 24. Quod Nissen. Stud. Pomp. p. 326 de aliis inventis anni 1818 exposuit, totum falso excogitatum esse, audio esse qui propediem demonstraturus sit.

60) Jordan. Topogr. R. I 2, p. 90.

61) ib. p. 92.

62) ib. adn. 89; cf. Mau Symb. Pomp. p. 205 sqq.

63) Overbeck. p. 92; Nissen. Stud. p. 325.

64) Licet autem ea, quae de significatione templi hoc loco disputavi, quondam

sit, nunc quaestio fiat. Atque illud ad Oscorum aetatem revocandum esse Nissenius censuit, non probavit. Ut enim templum intra annos 300 et 100 conditum demonstret, unam causam modulum Oscum profert[65]. Omnia ad quae quadret Osca mensura (quae est 0,275 m) aedificia ad Oscos, ad quae Romana (quae est 0,296 m) ad Romanos pertinere neque prius aedificata esse quam Sulla coloniam Pompeios deduceret, pluribus exponere studet. At ratio non constat, cum Mauius, qui iterum templi mensuras exegit, nullo modo pedem Oscum ex mensuris effici recte demonstret[66].

Neque igitur quisquam temporibus Oscorum Pompeiis Capitolium iam exstitisse adducetur ut Nissenio credat[67]. At contra Overbeckius, cum forum una cum aedificiis ad praecepta Vitruvii optime quadret, illud recentiore quam ceteras urbis partes aetate aedificatum ad coloniam Romanam spectare se persuasum habet[68]. Colonia autem in oppidum bello Marsico captum maleque affectum deducta est a Sulla, dictatoris propinquo, quem Cicero a. u. c. 692 ab accusatione societatis Catilinariae coniurationis defendit[69].

---

falso disputata videantur, tamen hoc profecisse mihi videor, ut Nissenii errores tollerem, quippe qui maxime id agerem ut Nissenium, qui cum Capitolia ex antiqua Italorum religione orta esse censeat, hoc quoque Capitolium ad Oscos pertinere imaginatus est, nullis argumentis inniti demonstrarem.

65) Stud. Pomp. p. 90, 320, 362, 367.

66) Symb. Pomp. p. 204 sq. — Nissen. l. c. p. 90 scalarum pronai cellae summam faciens computat 36,44 m. i. e. ped. Osc. 132 et sem. (sive quod p. 365 voluit 36,67 m. i. e. ped. Osc. 133 et sem.). At contra Mauius templi longitudinis summam esse probat a parte dextra 37,01 m., a parte sinistra 36,955 m. Sunt autem 36,988 m. idem quod 134 et sem. ped. Osc. et 37,0 m. idem quod 125 ped. Rom. Itaque numerum Romanum multo veriorem esse quam Oscum luce clarius est.

67) Quid autem ille sibi velit cum l. c. p. 326/27 templo nomen Cereris Liberi Liberae indat, ego non intellego.

68) l. c. p. 62, 68: „Eine zweite zwischen dem sog. Pantheon und dem Senaculum, sowie eine dritte zwischen dem Chalcidium auf das Forum hinführende Strasse sind durch diese Gebäude durchaus verbaut und in Sackgassen verwandelt, ein Beweis, dass das Forum eine Anlage jüngeren Datums ist als die anderen Theile der Stadt und in seiner jetzigen ganz Vitruvs Vorschriften entsprechenden Gestalt wahrscheinlich erst aus der Zeit der römischen Colonisation, wenn nicht aus derjenigen nach dem Erdbeben vom Jahre 63 stammt."

69) Cic. pro Sulla c. XXI 62.

Histonium (Il Vasto d'Aimone).

Sub medium fere saeculum quartum Capitolium restitutum esse a Fabio Maximo, provinciae Samnii rectore, titulus I. R. N. 5242 testatur[70]). Fuit autem Histonium Frentanorum caput neque vero quamquam lib. col. p. 260 colonia appellatur ea condicione fuisse videtur, cum obstent tituli I. R. N. 5250. 5252, quibus municipium, non colonia dicitur.

Marruvium Marsorum (S. Benedetto).

Marsos cum sciamus plerumque vicatim habitasse paucissimasque civitates habuisse, Marruvium, quod erat caput eorum, oppidulum fuisse apparet. Municipii condicione, non coloniae oppidum fuisse indicant tituli I. R. N. 5497. 5502, quare non dubium quin bello sociali confecto eo iure ornaretur. Praeter Capitolii autem nomen nihil compertum habemus[71]).

Abellinum.

Abellini, Hirpinorum olim oppidi, Capitolium commemorant acta SS. Martyrr. Hypolisti (sic!) Crescentii sociorum[72]). Hypo-

---

[70]) [C]apitoliu[m] | [F]abius Maxim[us] | v[ir] c[larissimus] | [i]nstauravit. Lapis repertus est in atrio s. Petri, ubi olim pro gradu ad aediculam Sanctissimi fuit. Titulus quamquam tempus non indicat, tamen aliis ex inscriptionibus, quibus Fabius rector provinciae appellatur, eum illis temporibus floruisse constat. Rectoris enim Samnii nomen ante annum 352 non invenitur, cf. Momms. scr. grom. II p. 206; Wilmans. Ex. n. 732[h]. Rector provinciae appellatur Alifis I. R. N. 4758 (= W. 735[c]) Telesiae ib. 4850 (= W. 735[d]) Saepini ib. 4926 (= W. 735[e]) Iuvani ib. 5189 (= W. 735[f]). Quibus in oppidis quod vetera aedificia restituisse, nova perfecisse non dicitur causa haec est. Cum initio saeculi IV incuria praesidum vetera monumenta collabi et perire inciperent et illi nova inchoare quam inchoata perficere mallent, Constantinus et qui ei successerunt imperatores lege sanxerunt, ne quis iudicum aut rectorum provinciarum nova opera prius inciperet quam quae senio victa reperata essent; cf. cod. Theod. XV 1 de op. publ. 2 (a. 321); 3 (a. 326); 11 (a. 364); 15 (a. 365); cf. Gothofredum in commento horum titul. Sin autem Constantinus anno 326 praeter templorum aedificationes nova opera inchoari antequam vetera restaurata sint vetat, illis temporibus nondum templa eversa fuisse apertum est. Vide nos p. 12 adn. 16.

[71]) I. R. N. 5501: . . . Octavius Laeua[s] | . . . Cervarius P. f. | IIII vir quinq. | viam post Capitoliu[m] | silice sternend[am] ex d. d. p. p. | locarunt idemq[ue] proba[runt].

[72]) apud Bolland. Kal. Maiis (mens. Maii tom II pag. 42sq.); cf. Ughellii Ital. sacr. tom. VIII p. 265/66.

listus Antiochia Abellinum venit, ubi magnam hominum multitudinem ad fidem Christianam convertit. Deinde prope Iovis aediculam ecclesia constructa assidue „praedicat". Ad senatores Firmium Fortunatum et Faustinum accersitus cum diis sacrificare recusaret a monte Capitolino in forum deiectus et a Iovis pontificibus illusus est[73]). Rogerus in G. Henscheni actorum commento se observasse ait anno 1644 fragmenta quaedam velut ingentia saxa templi Iovis in illo monte Capitolino. Sed ut ut est, certe de his actis idem valet, quod de illis exposui, cum de Capitolio Nolano supra verba feci. Quod ad oppidi ius attinet, Abellinum quamquam a Plinio h. n. III 16,105 colonia non dicitur tamen eo iure fuisse cum ex libro col. p. 219,16 tum ex inscriptiouibus elucet[74]). Cum Plinius taceat, Zumptius[75]) coloniam triumviris rectius adiudicat, cum tamen Renierus illam inter duodetriginta Augusti colonias referat[76]).

Beneventum.

Orbilium Popillium, plagosum illum Horatii magistrum, cum Beneventi natus esset, cives honoraverunt ita, ut statuam eius in Capitolio ponerent[77]). Sed Capitolii nunc iam ne vestigium quidem exstat. Ioannes enim de Vita, qui thesaurum antiquitatum Benevent. Romae a. 1754 edidit, de Capitolio haec verba facit: at infelicior omnino Beneventani Capitolii sors fuit, cuius cum nihil reliquum spectandum oculis locum etiam ubi fuerit indicasse negatur.

---

[73]) ib. pag. 43 § 2: Quibus verbis commoti Iovis pontifices eum sputis et virgis caesum nonnullis vulneribus plagaverunt. Qui postea vinctis post terga manibus et ad montem Capitolinum perductus in forum deicitur. .... Interea pontifex quidam ex illis, Batillus nomine, dissolutis eius manibus thuribulum ei porrexit, ut Iovis simulacro thus adhiberet.

[74]) I. R. N. 1875: col. Veneria Livia Augusta Alexandriana Abellinatium, cf. n. 1877, 1879—1881.

[75]) l. c. I p. 336.

[76]) cf. Borghes. opp. vol. V p. 257 adn. 3.

[77]) cf. Sueton. de illustr. gram. c. 9: Orbilius ubinam est, litterarum oblivio? Statua eius Beneventi ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus marmorea. — Non solum igitur imperii Romani oppida Capitolia ad exemplum urbis Romae aedificabant sed, quod maximi est momenti, Capitolium Rom. ita imitabantur, ut clarorum virorum statuas eodem loco constituerent. Romae quidem Augusti aetate area templi statuis adeo referta erat, ut ille earum maximam partem in Campum Martium transferi iuberet. Cuius moris alia exempla exstant Hispali nec non Veronae, ubi statua quae diu in Capitolio iacuerat postea in fori celeberrimo loco constituta est; vd. infra.

Erat Beneventum vetus colonia Latina u. c. 486 ad Samnites coercendos et mores Romanos in illas regiones disseminandos deducta [78]). Caesare mortuo triumviri anno 712 coloniam veteranorum eo deduxerunt [79]), deduxit autem L. Munatius Plancus, Antonii amicus [80]). Deinde Augustus eam denuo constituit, qua re a Plinio in Augusti coloniarum catalogo coloniae nomine ornatur [81]). Denique Nero, quem novas colonias si non deduxisse at veteres supplevisse scimus, coloniam Beneventanam auxit [82]).

Ostia.

Titulus ille C. I. L. VI 479 [83]), cum Romae in porticu lapid. Vaticani servaretur, ab Henzenio inter inscriptiones urbanas relatus est. Quem non Romam sed Ostiam pertinere nunc primum H. Dessau recte perspexit [84]). Fortasse enim A(ulus) Ostiensis Asclepiades idem est atque unus ex duobus, qui in indice familiae publicae Ostiensis l. c. p. 132 nomen Asclepiadis ferunt. Quod recte si habet, titulum ad Ostiam revocandum luce clarius. Sed ex ipso nomine quo sit referendus apparet. Noster enim non servus sed libertus est. Servi autem, cum nihil nisi unum habeant nomen, si manu mittuntur nomen patronis sibi vindicant ita, ut quo prius unico usi sunt iam cognomen evadat. Quam ob rem cum hoc loco Ostia colonia eum manu mittat, nomen eius gentilicium, quo ex tempore libertus fit, Ostiensis esse debet [85]).

Inscriptionem ad tempora imperatorum pertinere inde intelligi potest, quod corporis libertorum et servorum mentio est [86]).

---

[78]) Vell. I 14; Liv. epit. 15.

[79]) lib. col. 231, 5.

[80]) I. R. N, 4089.

[81]) lib. III 16, 105; cf. lib. col. 232, 7.

[82]) cf. lib. col. 231, 5. In titulis dicitur col. Julia Augusta Concordia Felix Beneventum cf. J. R. N. 1410.

[83]) A. Ostiensis Asclepiades | aeditus Capitoli signum Martis | corpori familiae | publice (sic!) libertorum et servorum d. d. (= ap. Orellium n. 2850).

[84]) Bull. inst. arch. a. 1881 p. 135 sqq.

[85]) Sic titulo ap. Henzen. n. 6402 libertus senatus Tiburtini dicitur Senatius Nephon eiusque uxor Senatia Flora; n. 6394 liberti coloniae Aeclanensis Maximianus et Marcella vocantur Aeclanius Maximianus et Aeclania Marcella; cf. n. 6395 C. Campanius Ursulus, n. 6396 Pollentia Processa.

[86]) cf. apud Orellium n. 4109: Cn. Sentio Cn. fil(io) Cn. n(epoti) ter. felici . . . patrono . . . corpora scaphariorum . . . et libertorum et servor(um) public(orum).

Nec dubium quin de collegiis funeraticiis cogitandum sit. Coibant enim homines tenuiores ea lege, ut sodalibus ex communi arca stipe menstrua perpensa funeraticium solveretur[87]). Aetate autem imperatorum cum servorum sors ita commutata esset, ut humano genere dignior fieret, iis non solum conubium, ius hereditatis, possessio concessa sed etiam permissu dominorum in collegia tenuiorum recipi concessum est[88]). — Pompeiis, modo contingat ut verum viderimus, Capitolium in parte fori septentrionali aedificatum erat ita, ut illud ab ea parte paene saepiret. Nec aliter rem fortasse se habere Ostiae Nissen iudicat[89]). In area enim quadam oblonga forma, quam ille forum fuisse suspicatur, templum magnis substructionibus exstat, quod cum ad septentriones spectans eam loci partem recludat et loca circumiacentia superet, Iovis Capitolini fuisse videtur. Certe Nissenius, qui templi modulos exegit, eosdem fere esse ac templi Pompeiani contendit. Sed cum ea quaestio nisi plurimis effossionibus institutis solvi nequeat, ultro prodire nobis non datur. — Quod ille Asclepiades aedituus Capitolii dicitur, non mirum est, cum Romae in Capitolio sicuti in omnibus deorum aedibus aeditui essent[90]).

Iam restat ut in condicionem urbis paucis inquiramus. Erat Ostia prima civium Romanorum colonia sub Anco Marcio rege deducta[91]). Quae cum esset portus Romae et urbis tamquam pars integra quin parvam quandam Romae imaginem expresserit dubitatio non datur. Postquam ab Augusto aucta et suppleta erat[92]) subinde Vespasianus Traianus Hadrianus agris militibus assignandis urbem amplificaverunt[93]).

Falerii.

Nunc venio ad oppida Etruriae, in quibus Capitolia fuisse traduntur, quorum condiciones si quis acurate reputaverit haec quoque Capitolia a Romanis originem duxisse mihi concedet. Ac Faleriorum quidem Capitolii meminit titulus Hadriano ter-

---

87) Marquardt. enchir. III 137 sq.

88) Dig. 47, 22, § 2: Servos quoque licet in collegium tenuiorum recipere volentibus dominibus; cf. Momms. de colleg. et sod. p. 102.

89) Mus. Rhen. n. s. vol. XXVIII p. 541.

90) Jordan. topogr. Rom. I 2 p. 37; Orelli syll. insr. II p. 507.

91) Liv. I 33 XXII 38; Dionys III 44; Cic. de re publ. II 18, 33.

92) Plin. h. n. III 9, 56.

93) cf. lib. col. p. 234; Zumpt. l. c. p. 395. 400.

tium consule i. e. anno p. Chr. 119 positus[94]). Quamquam inscriptionibus, quibus tres dei Capitolini commemorantur, Capitolium fuisse minime adducor ut credam, tamen hoc loco addo titulum Faleriis repertum, non quo Capitolium Faleriense confirmem, sed quia omnium qui extra Romam inveniuntur longe antiquissimus videtur esse. In laminae enim parte postica habes haec: Iovei Iunonei Minervai | Falesce quei in Sardinia sunt | donum dederunt magistreis | L. Latrius K. f. C. Sal(ve)na Voltai f. | . . . coiraveront[95]).

Falerii, oppidum perantiquum, quod Dionys. I 21 inter vetustissimas Siculorum colonias enumerat, erant in saxo derupto atque arduo[96]). Incolas non omnes Tuscos sed cum Umbris et Sabinos mixtos fuisse Ottfr. Muellerus probare studet[97]). Romani cum urbem obsessam delevissent incolas loco cedere et in planitie habitare coegerunt. Qui cum novum oppidum colonia deducenda condere statuerent, non veterem urbem ea aetate plane desertam incolis impleverunt sed in plano solo coloniam constituerunt eo loco, qui nunc quoque S. Maria di Falari (Falleri) vocatur[98]).

Vetus autem oppidum nunc est Città Castellana. Cum enim triumviri eo coloniam deducerent, non id egerunt, ut gentem coercerent sed ut veteranos agris adiuvarent, quam ob rem coloniam in planitie fuisse facere non possumus quin statuamus[99]).

Faesulae.

Ante hos tres annos Faesulis in loco templi Capitolini repertus est titulus hic:

---

[94]) Imp. Caesare | Traiano Hadriano | Aug. III cos. | via nova strata lapide | per medium forum pecuar(ium) | a summo vico longo ad | arcum iunctum Capitolio | ex conlatione manipretii | possessorum circa forum et ne | gotiantium item collegia quae | attingunt eidem foro | II viratu . . . . ap. Wilmanns. Ex. 794; (ap Orellium n. 3314 = ap Morcellium opp. epigr. II 3 c. 7 (p. 291) III p. 101).

[95]) Sylloge inscript. Lat. aevi Rom. rei publ. usque ad C. Julium Caesarem ed. R. Garruccius Aug. Taur. 1875, p. 170 n. 558.

[96]) Plutarch. vita Camilli c. 9.

[97]) Etr. I² p. 103.

[98]) Aliter quidem iudicat O. Muellerus l. c. I p. 104 adn. 104. Verum tamen vidisse mihi videtur G. Dennis Die Städte und Begräbnissplätze Etruriens p. 78sq.; cf. Cluver. Ital. antiq. et Holsten ad Cluv. p. 540.

[99]) cf. lib. col. p. 217, 5. Iunonis nomen coloniae inditum videtur a Junonis cultu in vetere oppido frequentissimo cf. Cluver It. ant. p. 542; O. Mueller I² p. 103. Praeterea colonia dicitur Plinio h. n. III 51: Falisca col. Argis orta, quae cognominatur Etruscorum.

Iovi o(ptimo) m(aximo) | Iunoni reg(inae) | Minervae | ob restitutio | nem Capitoli | ordo spl(endidissimus) Flor(entinorum) | d(ecreto) d(ecurionum)[100]. Litterae basi marmoreae, altae 0,23 m latae 0,153 m, incisae ad primum vel secundum p. Chr. saeculum spectare videntur[101]). Sine dubio igitur illa basis ad statuam auream argenteamve sustinendam apta erat. Praeterea cum illo loco aedificiorum fundamenta tum iacerentur, in lucem prodierunt: „grandi massi quadrati spettanti a dei muri di cui non si è presa nè misura nè appunto veruno[102])." Quae moles murorum quin pertineat ad Capitolium, in loco superiore positum, vix dubium videtur. Eodem loco proxime aeneae lupae fragmentum repertum est[103]), quod inventum si comprobetur, Faesulis Capitolium Romanum in templo aedificando adeo exemplo fuisse, ut illud ad unguem exprimeretur, maximi sit argumenti. Romae enim in Capitolio simulacrum lupae cum fratribus geminis erat[104]). Quod illo titulo ordo splendidissimus Florentinorum commemoratur, non est, cur ideo templum a Florentinis restauratum existimemus neque Gamurrinius habebat, quod in tractanda quaestione, cuiusnam oppidi Capitolium significaretur (utrum Romae an Florentiae an Faesularum) operam et tempus consumeret. Immo res dubia non videtur, cum verbis tituli nihil insit, quod templum a Florentinis restauratum esse nos adducat ut putemus. Equidem sic iudico: Faesulani cum Capitolium restauratum dedicarent, magistratus oppidi vicini dedicationi qui intererant illam statuam cum basi marmorea in area templi posuerunt; nec mirum, cum et Romae in Capitolio ingens donorum ex toto orbe collatorum numerus esset. Fortasse autem quispiam cogitaverit Florentinos cum Faesulanis ita coniunctos fuisse, ut Faesulas alterum quasi Lanuvium iudicarent. Itaque de oppidorum necessitudine quam nihil certi compertum sit antequam exponam, pauca verba de Faesularum condicione facienda sunt. Atque oppidum, quod erat in colle metae

---

100) cf. Fiorellium ephem. quae inscribitur Notizie degli scavi di antichità a. 1879 p. 108, maxime autem Gamurrinium bull. inst. arch. 1879 p. 176—185.

101) cf. Gamurrinium l. c. p. 182.

102) ib. p. 178.

103) Hoc debeo H. Jordani benignitati, quocum modo in Italia commorato Gamurrinius inventum communicavit simulque mihi ut tamquam testimonio hoc loco uterer liberalissime concessit.

104) Jordan. Topogr. Rom. 1 2 p. 51.

in modum fastigato[105]) usque ad bellum sociale quale fuerit nihil fere traditum habemus. Illo autem tempore, cum Sulla Italiae gentibus inimicissimus existebat et permultas militum colonias constituebat, etiam Faesulanorum oppido una cum Carseolis Aesernia Nuceria ferro ignique vastato[106]) coloniam imposuit[107]). Bello Catilinario cum sedes coniurationis esset, Mallius dux in agro Faesulano castra posuisse narratur[108]). Mirum autem quod nusquam nec titulis neque a rerum scriptoribus colonia appellatur. Omnino ut Florentiae ita Faesularum imperatorum aetate vix bis terve mentio fit. Plinius, qui in tertio historiae naturalis libro Augusti distributionem Italiae undecim regionum amplexus eas tantum colonias ab ipso solo aut una cum Antonio Lepidoque deductas coloniae titulo ornavit, reliquas ante Augustum deductas oppida appellat, etiam colonias Sullanas solo nomine apposito enumerat. Inde igitur quod Plinius tacet Faesulis posteris temporibus coloniam non esse renovatam efficiendum est[109]). Ad rem obscuram illustrandam non multum prodest inscriptio Ostiae proxime inventa, qua Q. Petronius Melior vocatur IIII vir qq. Faesulis, pontifex Faesulis et Florentiae[110]). Quibus autem temporibus ille floruerit, haud difficile est compertu. Noster enim Petronius, qui est ordine equestri, pater eius Petronii Melioris fuit, quem commemorat titulus ille apud Henzen. n. 6048. Hic autem erat censu senatorio vixitque sub aetatem Severi Alexandri[111]). Quattuorviros nisi in municipiis, duumviros nisi in coloniis non reperiri rectum si esset, Faesulas iure municipii fuisse statuendum esset. At lex exceptionibus non caret[112]). Nihilo minus cum nusquam colonia dicatur, hoc titulo freti aetate imperatorum oppidum municipii iure fuisse veri simillimum existimamus. His igitur expositis de utriusque urbis necessitudine agedum quaeramus. Florentiae a Romanis colonia constituta Faesulae brevi tempore multitudine incolarum superatae videntur ita, ut haud magno fierent nomine. Erat enim Florentia, in

---

105) O. Mueller. Etr. I² p. 206; Dennis l. c. p. 439sq.

106) Flori epit. ed. O. Jahn. p. 83, 28.

107) Cic. in Cat. III 6, 14; pro Mur. 24 § 49.

108) Cic. in Cat. III 6, 14; Sallust. Cat. 24. 27. 30.

109) Nec lucem fert quod idem dicit l. VII 13,60 C. Crispinium Hilarum ex ingenua plebe Faesulana cum liberis in Capitolio Romano sacrificasse.

110) cf. Fiorellium, Notizie a. 1880 p. 476.

111) Bull. inst. a. 1830 p. 198.

112) Momms. indic. corp. I. R. N. XXV. XXVI. Marquardt. enchir. vol. I p. 479.

planitie, non procul ab Arno flumine, cum Faesulae sitae essent in monte; qua re non mirum quod incolarum numerus illic augebatur hic minuebatur. Quae feruntur de Faesulis a Romanis destructis ac de Florentia condita fabulae recentioris videntur esse aetatis, quarum vestigia ut aperiret nemini adhuc contigit. Annales enim Florentinorum Romanos narrant Faesulas destruxisse et incolas in nova urbe habitare coegisse. Quam famam vulgarem Dantius quoque amplexus est, cum dicit:

Ma quell' ingrato popolo maligno
Che discese di Fiesole ab antico,
E tiene ancor del monte e del macigno
Ti si farà, per tuo ben far, nimico.

Neque vero dubium videtur quin illis bellis, quae Romani cum Faesulanis gessisse traduntur, illa emineant, quae inter Florentinos et Faesulanos per totum medium aevum gesta sunt, donec Faesulae tandem anno 1125 expugnatae funditus delerentur[113]). Neque igitur fides habenda viris doctis Italis, qui Florentiam a Faesulanis i. e. a Sullana colonia conditam incolisque impletam esse fabulentur. Constat Florentiam a triumviris coloniam deductam esse, neque multum ab ea re differunt annales illi Florentini, qui urbem a Caesare conditam esse referunt[114]). Sed quod maximum est, cum Florentiam colonia deducebatur, urbs non condita sed in urbem, quae iam bello sociali exstabat, colonia deducta est. Nunc revertamur ad illum titulum quo Petronius dicitur pontifex Faesulis et Florentiae. Quae verba sic intelligenda sunt tamquam ille eodem tempore Faesulis et Florentiae magistratum sacerdotalem tenuisse dicatur[115]). Ad sacra quaedam facienda ut compluria oppida vel regiones inter se coniungerent saepius factum est. Sed fortasse non errabimus, si paulo longius progrediemur et imperatorum posteriore aetate Faesulas coloniae Florentinae adsignatas esse opinabimur[116]). Sed res in dubio est.

---

[113]) Aliud quoque monet Hartwigius libro quem Marburgi a. 1875 emisit, sic inscriptum: Quellen und Forschungen zur ältesten Geschichte der Stadt Florenz p. XXIV. Nomina enim ducum Romanorum, quos Faesulas destruxisse annales referunt, ad nomina montium circum urbem exstantium pertinent.

[114]) vd. infra.

[115]) Et enim usurpari solet, siquis eodem tempore, item si deinceps duobus muneribus fungitur; cf. Wilmanns. Ex. n. 1147 adn.

[116]) Sic certe iam imperante Traiano pro una colonia Cirta constitutae sunt quattuor (Cirta, col. Veneria Rusicade, col. Sarnensis Milev, col. Mi-

Florentia.

De Capitolio Florentino etsi non habemus testimonia lapidum aut rerum scriptorum tamen ex nomine Capitolii usque ad hunc diem ibi servato tali templo urbem ornatam fuisse nihil obest quin colligamus. Ac primum valde dolendum quod cum annalibus historiisque Florentinis abundemus libro topographico adhuc careamus. Melius res se haberet, si viri docti priusquam grandia historiae Florentinae volumina conscriberent effossionibus opera navata veteris oppidi in condicionem topographicam ita inquisivissent, ut factum gaudemus a Carolo Promis de Augusta Taurinorum et Augusta Praetoria. Quod cum ita sit, nihil aliud meum esse puto nisi argumenta colligere et percensere. Atque in medias res ut confestim ingrediar, S. Mariae ecclesiam, quae nunc vocatur in Campidoglio, aut in loco veteris Capitolii aut haud procul ab eo esse ex ipso nomine apparere videatur. Exstat autem supra forum, quod per medium aevum forum vetus, forum regis, mercatum regis, nunc mercato vecchio appellatur[117]). Quod Capitolii nomen in S. Mariae ecclesia inde ab saeculo decimo usque ad hoc tempus adhaesisse demonstrare possumus, ante id tempus non possumus, causa nulla alia videtur quam quod annalibus et instrumentis publicis ante illud tempus conscriptis prorsus carere videmur. Certe enim cum quinto vel sexto p. Chr. saeculo Capitolium ibi iam exstaret[118]), ecclesia, quae in eius fundamentis aut prope aedificata est, nomen ita servavit, ut a primis temporibus, quo melius a ceteris S. Mariae ecclesiis distingueretur, in lingua vulgari ea significatione ornaretur.

Quod primum afferendum est argumentum spectat ad annum 1067: claustrum casas et terram posit, in Civ. Flor. ad Orientem iuxta Capitolium, a quo ad quartam partem est ecclesia S. Donati[119]). Accedunt haec: in ecclesia S. Mariae

---

nervia Chullu) ita, ut unam quodam modo rem publicam efficerent. Itaque praeter magistratus ibi inveniuntur flamen perpetuus IIII coloniarum (I. L. VIII 7063. 7112. 7124. 7125. 7964 alias), flaminica IIII coloniarum (ib. n. 7080). Tres autem illae coloniae cum Cirtensi coniunctae videntur, quod a pagi condicione haud magnopere recedebant; cf. Wilmanns. praef. tit. Cirt. p. 618.

[117]) vd. Ughellium Ital. sac tom. III p. 48; Lamium Mon. vol. II p. 865. 968.

[118]) vd. nos pag. 12 adn. 16. Romae quoque ‚aureum Capitolium', quod quarto saeculo eodem atque antea splendore fulgebat, sexto saeculo quamquam a Germanorum ducibus saepius direptum totum iam exstabat; cf. H. Jordan. Topogr. Rom. I 2 p. 30/31.

[119]) Riccha Notizie storiche delle chiese Fiorentine (Flor. 1754) vol. IV

quae dicitur in Capitolio (a. 1190), in Capitolio que etiam Odigitria dicitur (a. 1201)[120]).

Nunc transeamus ad eos qui res Florentinas scripsere. Ac primum quidem nominanda sunt illa chronica de origine civitatis, quae qui composuerit dici non potest[121]). Quorum scriptorem posteriorem initio saeculi XIII non fuisse, inde sequitur quod Sanzanome iudex, qui aetate paulo inferior est, eum auctorem sequitur. Qui, ut erat vir satis doctus, se monumentis per litteras traditis usum esse ipse profitetur[122]). De Capitolio atque de Florentia condita chronica, quae apud Hartwigium l. l. tribus codicibus impressa exstant, hoc referunt[123]): „Et ita fuit destructa civitas Faesulae et ex Romanis et Faesulanis est alia civitas facta quam Caesar suo nomine volebat Caesariam appellare. Senatoribus et consulibus Romanorum non permittentibus statuerunt, quod unus ex nobilibus civibus Romanorum muros civitatis deberet fieri facere et turres cum depressas per girum murorum civitatis praedictae ad similitudinem urbis Romae. Alius vero deberet fieri facere Capitolium sicut erat in urbe Romana. Et quum haec omnia aedificia uno termino et die ad finem perducerentur civitas haec parva Romula vocabatur quum nomen aliquod non haberet". Quingentis annis post, pergunt chronica p. 57, Totilam, flagellum Dei, Florentiam venisse eamque obsedisse. Qui cum urbem diu oppugnatam capere non posset, amicitiam cum incolis se habiturum quod simulasset, introitum urbis ei concessum esse: „Et per longum tempus in eam stetit et clam in eam quam plures milites introduxit et ita in Capitolio erat habitatio dicti regis. Subtus quod Capitolium aqua fluminis Sarni quodam rivo artificialiter ducebatur. Et quum pessima cogitatio ascenderet in cor eius misit ita quod nesciebat unus de altero pro

vol. IV p. 159. At vol. VII p. 311, ubi ad hoc respicit, annum indicat 1007, qua re alterum utrum mendum typographicum esse oportet. Auctorem quem affert, Leop. Migliorem — scripsit ille a. 1654 librum de Florentia illustrata — ut adirem fieri non potuit, cum liber eius tamquam rarissimus non saepe in bibliothecis obvius fiat.

[120]) i. e. ὁδηγήτρια. Vd. arch. stor. Ital. III ser. (a. 1863) tom. II p. 71. — Riccha l. c. vol. VII p. 319 — Lami Lezioni di antichità Toscane a specialmente della cità di Firenze p. 67 sq. — Perrens Histoire de Florence (Paris 1877) I p. 40.

[121]) cf. Scheffer-Boichorst. Florentiner Studien Lips. 1874 et Otto Hartwig. Quellen u. Forschungen zur ältesten Geschichte d. Stadt Florenz Marburgi 1875.

[122]) cf. Hartwig. l. c. p. 61. XVI. Priores inter auctores quos amplexus est Paulum Diaconum fuisse ille demonstrat.

[123]) vd. p. 54 sq.; cf. pag. XXIX—XLIII.

quam pluribus magnatibus civitatis praedictae et ipsis militibus absconsis et clam missis in ipsum Capitolium, antequam divulgaretur per civitatem, XX milia hominum nobilium dictae civitatis fecit in dicto Capitolio decollari et in ipsam aquam quae currebat subtus ipsum Capitolium proiici. Et non fuit aliter cognitum nisi quando aqua dicti fluminis coepit rubescere pro sanguine interfectorum. Et armatus ipse rex et sui milites exiverunt extra Capitolium capiendo homines et interficiendo.“ Primum monendum est, fama vulgari Totilam cum Attila, quem nunquam in Etruriam venisse notum est, mirum quantum confusum esse. Deinde non recte se habet, quod Totila urbem solo aequasse dicitur; ille enim anno p. Chr. 542 non ipse urbem obsedit sed tres misit legatos, qui cum illam capere non possent re infecta oppugnando destiterunt. Denique Capitolii vocabulum, quod tantas in illa relatione agit partes, falso adhibetur pro castello sive palatio. Nihilo autem minus eam fabula vim habet, ut vocem Capitolii lingua vulgari viguisse nos edoceat.

Antiquissimus quem novimus rerum Florentinarum scriptor est Sanzanome, qui fortasse unus ex viris eiusdem nominis iuris peritis fuit, qui initio saeculi XIII Florentiae florebant. Scripsit autem cum mortuus sit ante annum 1266, certe non post a. 1253. Cuius Gesta Florentinorum usque ad annum 1231 pertinent atque in medio enuntiato interrumpuntur[124]). Qui cum gesta componeret, ei illa chronica civitatis usui fuisse cum ex aliis causis tum vel maxime inde apparet quod de Capitolio eadem fere verba facit[125]). Sunt autem haec: „Dicitur insuper quod a Totila flagello dei fuit postea destructa Florentia et melioribus auguriis rehedificata per proceres, cum ex pacto intrasset eandem multo tempore iam obsessam necatis nobilibus in palatio quod dicebatur et hodie dicitur Capitolium, et ibidem omnibus interfectis et singulis necem ignorantibus ceterorum.“ Nec vero silentio praetereunda videtur Ioannis Villanei historia Florentina, quae quantum auctoritatis apud viros nostrae aetatis doctos habeat satis notum est. Qui cum sub annum 1300 res Florentinorum scribere in animum induxisset, ea quae de iis ante annum 1300 gestis nota erant maximam partem ex chronicis et gestis Florentinorum deprompsit, quo fit ut de Capitolio nihil fere novi ab eo comperiamus[126]). Sequitur liber

[124]) cf. Scheffer-Boichorst l. c. p. 251.

[125]) cf. Hartwig. l. c. p. 2.

[126]) Dicit enim lib. I c. 38 (apud Muratorium Rer. Ital. script. tom. XIII.): „Marzio, l' altro Signore Romano, fece fare il Campidoglio al modo di Roma,

Malespinii, quo iure supersedere possumus, quoniam Scheffer-Boichorst l. c. p. 26 sqq. illum per fraudem ex Villanei libro exscriptum esse probavit[127]).

Quoniam de Capitolii testimoniis disserui iam restat ut de condicione urbis pauca verba faciam. Quae quin a Romanis originem duxerit, dubium non est, cum ipsius vocabuli forma velut Faventia, Placentia, Fidentia argumento sit. Nec minus verisimile videtur eam urbem, cum Romani coloniam deducere statuerent, iam exstitisse, cum Florus bello civili Mariano inter municipia Italiae splendidissima enumeret[128]). Deduxerunt autem coloniam triumviri[129]), praeceptum Caesaris (ut visum est Mommseno agrim. II 160 adn. 3) fortasse executi.

Ravenna.

Capitolium nisi actis s. Apollinaris, primi Ravennatium episcopi, qui vixisse fertur circa annum p. Chr. 75, nusquam quod sciam commemoratur. Cuius sancti passionis duplex est relatio, altera brevior excussa ex Agnelli seu Andreae, abbatis s. Mariae ad Blachernas libro pontificali sive ex vitis pontificum Ravennatium, quas Bacchinius ex bibliotheca Estensi erutas dissertationibus observationibusque nec non appendice monumentorum illustravit[130]), altera uberior multisque additamentis aucta anonymo auctore[131]). Agnellus cr. annum 805 natus scripsit librum pontificalem sub annum 839 amplexus vitas pontificum ab Apollinare usque ad annum 836. Qui cum esset barbarus rerumque et temporum ignarus tamen veritatis amantissimus „antiquis dypticis perspectis inscriptionibus descriptis, basilicarum musivis relatis, digestis etiam quamvis

cioè Palagio, overo la mastra fortezza della Città, e quello fu di maravigliosa bellezza. Questo Campidoglio fu dove è hoggi la piazza di Mercato vecchio, di sotto alla Chiese, che si chiama Santa Maria in Campidoglio."

127) Posteriores rerum Flor. scriptores cum omnes plus minus pendeant a Villaneo, in Capitolio illustrando lucem ferre nequeunt. Quorum ex numero nominentur Barthol. Scala (histor. Flor. libri quinque ap. Graevium thes. antiq. It. tom. VIII, ubi cf. lib. I § 8 § 34—37); Poggius Bracciolinus (hist. Flor. libri octo ap. Graevium l. c.); Angelus Politianus (epist. lib. I ep. 2 ad Petrum Mediceum); Ughellius (Ital. sacr. tom. III 6).

128) pag. 90, 25 (ed. O. Iahn.).

129) lib. col. 213, 6.

130) apud Muratorium Rer. Ital. scr. vol. II 1 p. 32—34 (= Act. SS. X Kal. Jul. (tom. V mens. Iun. p. 350—352)).

131) a Io. Pinio ex ms. Fuldensi excussa exstat in Bollandi Actis SS. l. c. p. 444 sqq. et apud Muratorium l. c. vol. I 2 p. 529 sq.

absque delectu quae seniores retulerant" omnia operi suo inseruit[132]). Ille igitur Apollinarem, natione Antiochenum, cum Petro Romam venisse et inde Ravennam se contulisse postquam breviter narravit mortem eius sic describit: „igitur beatissimus Apollinaris cum ingenti pondere ferri in carcerem missus est, non longe ad Capitolium istius Ravennae civitatis." Haec acta sinceriora et antiquiora esse quam quae statim depromam nemo non videbit. Utramque enim narrationem si quis contulerit, quin in longiore vera probabilibus et fabulosis rebus contexta sint ita, ut auctor eius breviore tamquam basi usus mendis et narratiunculis miraculosis eam referciret, dubitare non poterit. Sed ad ipsius passionis verba aggrediamur: „Cum cresceret opinio beati Apollinaris . . . nuntiatum est de eo iudici Saturnino, qui producens eum statuit eum ante pontifices Capitolii Ravennatis et interrogavit eum dux quid vellet esse. Cui respondit: Filius Dei . . . . Cui dux ait: Et ipse te misit ad nos, ut evacues templa deorum nostrorum? An ignoras sacrum nomen Iovis, qui magnus est habitator Capitolii huius civitatis? Apollinaris respondit: Quis sit habitator ignoro et quale templum habeat non novi. Aiunt pontifices: Veni et vide magnum templum et mire exornatum ibique cernes simulacrum invictissimi Iovis. Cumque intrasset Capitolium beatus Apollinaris, subridens ait pontificibus: Ista tanta ornamenta aurea et argentea melius poterant pauperibus erogari quam ante conspectum daemonum appendi. Tunc irruentes pontifices cum populo super eum nimia eum caede mactaverunt . . . . Accersivit itaque Messalinus vicarius in praetorium suum Apollinarem et ait ei coram sacerdotibus Capitolii . . . . . Messalinus vicarius dixit: Tu mihi persuadere non potes, ut ego deos sequar ignotos, qui a senatu recepti non sunt; sed istis postpositis accede ad Capitolium et manibus tuis pone thura magno deo Iovi tonanti . . . Apollinaris respondit: Jam me perductum in Capitolium existimato, securus esto quia manibus meis thura non ponam." Deinde in exilium missus ex Thracia post tertium annum revertitur Ravennam. Ubi cum missas quando teneret seditio orta est „et irruentes populi super eum, ligatum ad forum perduxerunt . . Quem videntes pontifices Capitolii indignati sunt dicentes: non est dignus iste praesentari magno deo Iovi, quia frequenter eum illusit, sed ducatur

[132]) cf. Bachinium apud Murator. II 1 p. 8. 10. 31 ipsumque Muratorium p. 3. Quod Pinius in actorum commentario praevio disputavit ex Bacchinii praefatione descripsit.

ad templum Apollinis ibique cognoscat virtutem deorum immortalium . . Temporibus Vespasiani Augusti tam invidiosa zelatio pontificum Capitolii Ravennatis, ut erant super aras trecentas[133]).“ — A ceteris differentiis ut recesseris narrationes inter se differre reperies ita, ut Apollinaris breviore in carcerem prope Capitolium, longiore in ipsum Capitolium ductus esse dicatur. Licet autem acta longiora sint ficticia, certe ficta sunt ab eo, qui Romanorum antiquitatibus initiatus esset[134]). Ceterum Capitolii omnes qui S. Apollinaris vitam scripserunt recordantur[135]). Cancellieri ad Capitolium respiciens praeter illa acta nihil novi argumenti affert[136]), nec aliter Kandlerus, qui ephemeride l'Istria a. 1846 (tom. I) no. 53. 54 cum de aliis Ravennae monumentis tum vel maxime de Capitolio disseruit ita, vix ut cuiquam plane eum persuasisse existimem[137]). Idem dissertationi adnexuit formam Ravennae antiquae (p. 231). Illius autem errorem, quod Capitolium pro castello fuisse censet, cum communem virorum Italiae doctorum supra castigaverim, hoc loco non habeo quod pluribus reiciam. — De oppidi condicione perpauca sunt dicenda. Quamquam enim Strabo (V 1, 11) eo colonos Romanos deductos esse dicit tamen semper municipium fuisse inde intellegitur quod titulis nisi municipium non appellatur neque Plinius (III 30, 115) coloniam fuisse tradit. Augustus igitur cum stationem classis maris superi ibi constituit, coloniae iure urbem donasse non videtur[138]). Neque tamen, cum omnia in agro Gallico octavae regionis oppida a Romanis condita esse constet[139]), quidquam obstat quin Capitolium Romanorum temporibus aedificatum esse arbitremur.

---

133) vide infra s. v. Treveri.

134) e. g. cf. supra ut ego deos sequar qui a senatu recepti non sunt.

135) cf. Bacchinium l. c. p. 34 B.

136) Il mercato il lago (Rom. 1811) p. 258.

137) Is l. c. p. 216 hoc habet: Il campidoglio sarebbesi collocato, siccome fu stile, nella parte delle mura più esposta ad attacco esterno; all' invece in Ravenna lo si ritrova, per sede di memorie scritte (?) nell' angolo della colonia che guarda l' odierna piazza maggiore, non distante dalla chiesa che fu dei Domenicani; indizio questo che il campidoglio fosse meno destinato a contenere esterni nemici, di quello che a tenere in freno il rimanente della città. Ed è da segnarsi che collocandosi i fori a piedi del campidoglio, ed il foro della colonia e quello della città fossero a piedi del campidoglio, l' uno dal lato interno, l' altro dall' esterno.

138) cf. Zumpt. l. c. I 260. 306.

139) vd. Beloch. Der ital. Bund p. 24/25.

Verona.

Intra annos p. Chr. 379 et 383 Val. Palladius consularis Venetiae et Histriae statuam quae diu in Capitolio iacuerat in forum transferri iussit[140]). Maffeius in tituli commento nomen affirmat Capitolii etiam nunc memorari in „Marzagaiae, Antonii Scaligeri praeceptoris, inedito libro de modernis gestis ad Valerii imitationem composito.“ Idem addit statuam, quae in colle qui nunc dicatur S. Petri arx diu iacuerit, usque ad hunc diem Veronae spectari[141]). Ecce igitur alterum exemplum, sicut Romae etiam in provinciis statuas clarorum virorum in Capitolio poni solere. Celeberrimus autem qui dicitur fori locus haud dubie est iuxta tribunal et rostra, ubi clarissimorum virorum statuae visebantur[142]). — Regionis decimae oppida a. u. c. 665 Cremona et

---

[140]) C. I. L. V 3332 (= Or. n. 68 = Maff. Mus. Ver. p. 107): Hortante Beatitudine | temporum ddd. nnn. | Gratiani Valentiniani | et Theodosi Auggg. | statuam in Capitolio | diu iacentem in | cereberrimo fori | loco constitui | iussit Val. Palladius | v. c. cons. Venet. et Hist. — Ad cultum deorum Capitolinorum confirmandum praeter titulos Iovi o. m. soli dedicatos accedit titulus C. I. L. V 3242, quo tres dei commemorantur.

[141]) Eodem respicit Polycarpus Palernus, qui de vera C. Plinii Secundi patria atque ea Verona librum scripsit (ap. Graevium Thes. antiqq. et hist. Ital. tom. XXIX § 52). Dicit enim: Capitolii porro nostri talis apud nos inscriptio adhuc visitur eaque in ipso maiori foro, non in aliquo editiore urbis loco, ubi olim Capitolia exstruebantur, effossa. Pluribus Maffeius licet bonae frugis nihil contulerit disputavit de Capitolio libro quem de Verona illustrata a. 1732 Veronae emisit p. 230 sq.

[142]) cf. tit. Alexandr. C. I. L. III 1, 19 et Rusicad. ap. Renier. n°. 2169; vide omnino H. Iordan. ephem. epigr. vol. III p. 255: ac municipiorum quidem coloniarumque in exornandis foris ea fuit aemulatio urbis, vix ut ullum eorum rostris tribunalibusve ad exemplar rostrorum fori Romani factis caruisse videatur. Itaque Nipperdeio, qui Taciti verba (ann. IV 67) ultroque struebantur qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti verbo tempore suppleto interpretatur sic: „Zur Zeit wo das Forum am besuchtesten sei“, ut assentiamur adduci non possumus. At contra loco supplentes fori locum medium tribunali rostrisque conspicuum, qui quasi artis vocabulo celeberrimus dicatur, cum insignium statuis virorum refertissimus esset, intelligendum esse censemus; cf. Plin. h. n. XXXIV 9 excepta deinde res est a toto orbe terrarum humanissima ambitione. Et iam omnium municipiorum foris statuae ornamentum esse coepere, prorogarique memoria hominum, et honores legendi aevo basibus inscribi,

Aquileia exceptis postquam iure Italico donata erant lege Iulia a. u. c. 705 in ius municipiorum venerunt[143]. Cavendum igitur ne Borghesio (opp. V p. 269) credamus, cui oppidum ab ipso Augusto coloniae nomen traxisse visum est. Plinius enim (h. n. III 19, 130), qui Euganeorum modo oppidum dicit, si tum fuisset colonia, silere non potuit. Quod quominus recte se habeat, nihil obstat quod vocatur Augusta Verona; Augustae enim cognomen ubi reperitur honoris causa ad quemlibet Augustorum, ubi adhibetur pro nomine proprio (e. g. Aug. Taurinorum, Rauracorum) ad Caesarem Augustum pertinere videtur[144]. Restat autem aliquid difficultatis. Tacitus enim (hist. III 8) bellum Vitellianum describens Veronam appellat coloniam, quod qua ratione explicemus cum non habeamus, a certo iudicio abstinendum nobis est. Illum erravisse ut erraverit de Augusta Vind. voluit Mommsenus, cum Zumptius (l. c. I p. 403), Traianum deduxisse coloniam statuens Plinium recte tacere Tacitumque non errare sibi persuadeat. Ut ut autem est, hoc constat, nisi ante habuerit illud ius, certe tertio saeculo more eius aevi coloniae titulo Veronam esse ornatam. Dicitur enim anno p. Chr. 265 col. Augusta nova Gallieniana (cf. C. I. L. V 3329).

Aquileia.

Quae Capitolium commemorant acta SS. Felicis et Fortunati martyrum Aquil.[145]) Francisci Barbarani de Mironi eccles. hist. Vicentinae (liber prodiit cr. a. 1643) I cap. 33 tamquam acta antiqua martyrii, in novem lectiones ad matutinum recitari solitas, distributa inserta exstant. Quorum deinde codicem saec. VIII in tabulario capit. oppidi quod nunc dicitur Cividale servari monuit Kandlerus[146].

Apollinarius praefectus ut per totam Italiam praesides vel magistratus et iudices ordinaret ab imperatoribus Diocletiano et Maximiano Roma missus Aquileiam venisse omnesque oppidi cives ut sacrificarent venire ad Capitolium iussisse narratur[147]. Hoc

ne in sepulcris tantum legerentur. Honos clientum instituit sic colere patronos.

[143]) Momms. praef. inscript. Veron. — Beloch. l. c. p. 27.

[144]) Momms. praef. inscript. Aug. Vind.

[145]) A. SS. a. d. III id. Iun. (collectionis tom. XXII p. 456 sqq.).

[146]) Ephem. l'Istria vol. VII (a. 1852) p. 210.

[147]) „Cumque venisset apud civitatem Aquileiensem in templum Iovis ingressus immundas hostias obtulit. Praeco vere per omnem civitatem voce magna proclamabat ut omnes venirent cum hostiis ad Capitolium Iovis."

est, quod unum quantum scio habemus Capitolii Aquil. testimonium, quo usi del Torre (de diis Aquil. p. 316) et Bertoli (Le antichità d'Aquileia a. 1739 p. 16) de illo disputaverunt ita, vix ut quidquam ab iis comperiamus. Nostra aetate Kandlerus antiquitatibus Aquil. operam navavit observationesque de Aquileia Romana factas cum per ephem. l'Istria dispersas emisit[148]) tum dissertationem forma oppidi antiqui praemissa inseruit ephem. quae vocatur Archeografo Triestino nov. ser. vol. I 1869/70 p. 93—140[149]). Cum ecclesia s. Petri („der Dom") oppidi in loco editissimo aedificata sit, ibi antiquum Capitolium fuisse persuasum se habet[150]). Quam sententiam quo iure amplexus sit in dubio pono. —

Aquileia, colonia vetus Latina[151]), postquam lege Iulia civitatem adepta erat, municipium facta videtur esse. Sic enim Vitruvio dicitur (I 4, 11) et in titulis n. 903. 968; at colonia appellatur a Plinio (III 21, 123) et a Ptolemaeo (III 1, 34) nec non titulis n. 1084. 1127, qua de causa similiter ac Mediolanio ab Hadriano vel Pio nomen illud honorificentius ei datum esse Mommsenus pluribus probare studuit.

Brixia.

Vitae SS. Faustini et Iovitae, cui debemus Capitolii relationem auctorum anonymorum duplex exstat recensio[152]), quae quanta fide digna sit ego quidem dicere nec audeo nec possum. Qui actis praefatus est God. Henschenus: „de vitae, inquit (praef. § 6), horum martyrum auctoribus sane antiquis illud videtur dicendum, eam ex praesidalibus actis, quae a notariis olim excerpta erant, sequentibus saeculis scriptam fuisse, ab aliisque auctoribus nunc auctam nunc breviatam." Sancti postquam Soli invicto sacra facere iussi sunt, postero die ut coram Hadriano thura Iovi imponant in Capitolium abducuntur[153]). Deinde imperator tribunal poni

[148]) De Capitolio disseruit vol. VII n°. 23/24 p. 90; n°. 46 p. 210.

[149]) ibi cf. pp. 117. 118. 120. 125.

[150]) cf. ib. p. 118 (= ephem. l'Istria VII 101): In quale preciso sito venisse piantata (sc. Aquil.) lo additano le vie acquee e terrestri; in quale preciso punto, lo segna la eminenza maggiore, la quale, essendo appunto al sito ove sorge il duomo, non protrebbe dubitarsi che ivi fosse collocato il capo delle città, il campidoglio.

[151]) cf. Momms. praef. tit. Aquil. C. I. L. V 83; Marquardt. enchir. p. 50. 60.

[152]) Ap. Bolland. A. SS. a. d. XV. kal. Mart. (tom. V p. 806).

[153]) Primum vitae exemplar verba exhibet haec (p. 812): „postero die iubet sibi in Capitolio Adrianus sedem parari; quo cum Sanctos Dei adduci-

iubet in templo Martis atque cum paulo post Mediolanium se contulisset ibi Herculis in thermis, ubi erant statuae Herculis et Saturni, in eos denuo inquirere coepit. — Octavius Rubeus, qui monumenta Brixiana descripsit[154]), vetustum, ait, murum, albo et quadrato saxo constructum, qui e regione aedis S. Iosephi sit, propter magnificentiam operis partem Iovi Capitolini templi vulgo haberi. — In oppidum quod bis (C. I. L. V 4212 et 4309) vocatur col. civica Augusta Brixia atque a Plinio (III 19, 130) eo titulo ornatur Augustum p. a. 729 coloniam deduxisse certum[155]).

Haec habui Capitoliorum Italiae exempla quae quod eius fieri potuit certa quadam ratione eruerem. Relinquuntur nonnulla, de quibus cum praesidiis plane deserar neque quidquam veri indagandi nobis det ansam, certum iudicium ferre non possum. Nihilo setius sperans fore ut alii fortasse contingat ut melioribus quam quae hac in terrae regione mihi in manibus sint praesidiis adiutus quaestionem inchoatam ad liquidum perducat, ea infra addere non veritus sum. Percensenti enim quibus Capitolia fuisse demonstravimus oppida quin ex tanta Capitoliorum ad exemplar Romani factorum copia perpauca ad nos pervenerint vestigia nemini dubium esse poterit. Neque fallemur cum imperatorum Rom. certe temporibus vix ullam totius Italiae coloniam municipiumve fuisse contendemus, quod non Iovis Iunonis Minervae templo uteretur. At, quod recte monet Abeken, praefat. libri de Italia media conscripti p. XIV, exstat in ipsa Italia ingens numerus librorum singularium de singulis oppidis a civibus compositorum, qui argumenti archaeologici plenissimi cum extra Italiae fines plerumque ad nos non pervenerint nemini nisi qui in Italia commoretur auxilio esse possunt.

Habes igitur, quae in tanta praesidiorum penuria investigavèrim. Atque ut statim exordium faciam a Mediolanio, Ughellius Ital. sacr. tom. IV p. 20 sic dicit: nam Capitolium fuit

praecepisset compellabat eos Iovi thura imponere". Alterum, quod est paulo verbosius et loquacius, narrationi adnectit fabulam miraculosam (ib. p. 816): „Adrianus vero procedens ascendit in Capitolium cum ingenti turba, offerens suis sacrificia diis iussitque Faustinum et Iovitam secum in Capitolium scandere et sacrificare. Cumque ingressi fuissent in Capitolium loci ipsius fundamenta contremuerunt ita, ut omnis populus timore perterritus fugeret".

[154]) In Graevii thes. vol. IV 2.

[155]) Momms. praef. inscr. Brix.

ad S. Salvatoris et Brovetrum vetus, Arenarium ubi nunc Arengum appellant, circum indicat aedes s. Mariae ad circum nuncupata. Neque inde quod Ausonius in catalogo clarar. urb. monumenta Mediol. describens Capitolii non meminit[156]) sequitur ibi tale templum non fuisse. Neque vero quidquam nos adiuvat ille titulus C. I. L. V 5771 (cf. n. 5772—5785), quo tres dei Capitolini nuncupantur, cum eos templi Capitolini certa argumenta minime prae se ferre supra exposuerim. Quae cum ita sint, ultra prodire non datur. Nec certius iudicium est de Capitolio Polensi, de quo ephem. l'Istria vol. I (a. 1846) no. 6/7 p. 22. 23 haec fiunt verba: La porta (sc. Gemina) . . . sembrava adattata ad ingresso di Acropoli e di Campidoglio, per lo chè le era anche stato attribuito tal nome. La via che mette al Campidoglio dalla porta Giovia fu nella parte inferiore e superiore denudata . . . La porta del Campidoglio fu denudata, nè più rimane dubbio che al Campidoglio desse adito, e dal Campidoglio si scendesse direttamente verso l'Amfiteatro e sulla strada per Albona; una testata delle mura del Campidoglio fu toccata. L'esistenza del quale Campidoglio non rechi maraviglia perchè altre città che non Roma e di non gran conto l'ebbero; anzi di ogni colonia il Campidoglio era parte essenziale nobilissima[157]).

Restat ut ea quae de Capitolio Tergestino nota mihi sint hoc loco exponam.

Titulos Tergeste coloniae in C. I. L. vol. quinto exstantes perlegenti mihi occurrit quod n. 527. 530. 531 inscriptiones ad Capitolium repertae esse dicebantur. Itaque adii quem testem attulit Mommsenus Kandlerum, qui bis de fastis Tergestinis ac primum quidem ephem. l'Istria vol. V (a. 1850) n. 1[158]), deinde libro quem inscripsit Indicazioni per riconoscere le cose storiche del Littorale (a. 1855) disputavit. Apud quem sub anno p. Chr. 56 scriptum videmus hoc: P. Palpellio, ammiraglio della flotta imperiale del l'Adriatico, di stazione in Ravenna, dedica nel campidoglio di Trieste il tempio di Giove, di Giunone e di Minerva, allor riffatto, di cui rimangono avanzi. Ad hoc iudicium qui factum sit ut perduceretur, facile est intellectu.

---

[156]) Circus et inclusi moles cuneata theatri, — templa, Palatinae arces, opulensque moneta — et regio Herculei celebris sub honore lavacri, — omnia quae magnis operum velut aemula formis — excellunt: nec iuncta premit vicinia Romae.

[157]) cf. praeterea vol. II p. 71. 323, IV n°. 60.

[158]) cf. ibid. vol. III p. 293.

Supra portam enim aedificii, quod Capitolium fuisse censet, reperta est haec inscriptio: P. Pallpellius P. f. Maec. Clodius | Quirinalis p. p. leg. XX trib. milit. leg. VII | C. P. f. proc. Aug. praef. classis dedit [159]). At inde quod titulus in „stipite superiore di porta al Campidoglio" inscriptus erat, Capitolium a P. Palpellio aedificatum aut restauratum neminem puto fore qui sibi persuadeat esse efficiendum. Ad Capitolium Romanum respiciamus. Cuius muri quod titulis votivis aliisque inscriptionibus erant refertissimi, ex eisne efficiemus ab hoc aut illo templum aedificatum aut restauratum esse? Minime. Sed porro pergamus. Kandlerus l. c. p. 8 Capitolium contendit saeculi quarti decade octava S. Mariae in ecclesiam esse conversum [160]). At cum ne unum quidem attulerit testimonium, non est cur creduli illi fidem habeamus. — His in ambagibus cum versarer, confugi ad benevolentiam H. Iordani, qui Hortis, virum illustrissimum Tergestinum per litteras addiit, ut si posset dubitationes meas dilueret. Neque spes nos fefellit. Liberalissime enim ille vir egregius nostris quaestionibus expediendis opera navata non solum ex Kandleri libro ms., qui in archivio munic. Tergest. conservatur, eam quae est de Capitolio partem exscripsit eiusque formas adnexuit, sed quid ipse de re sentiret aperuit. En habes ipsius Kandleri verba [161]):

Certo ebbe Trieste proprio Campidoglio, sulla cima del Colle che sovrasta alla Città, che poi ebbe nome nel Medio tempo di Cabor [162]), per contrazione e sostituzione della R alla L gradita ai Triestini, nella bocca dei Tedeschi Tiber; insigni monumenti rinvenuti ne fanno testimonianza, ma tanto fu alterato questo vertice per la costruzione di Basilica, di Battistero, di Martirio, tanto fu sconvolto colle opere militari nel Medio Evo, dei Veneziani, dei Geovesi, delli Austriani, dei Triestini, che il più di quell' opera è sparito . . . Sembra potersi dividere il Campidoglio in tre parti, due verso la Città, di eguale superficie cadauna, di 3248 passi romani quadrati, dietro a queste la terza parte di 1624; l'una

[159]) cf. Inscrizioni nell agro colonico di Trieste n°. 37 (= C. I. L. V n. 533).

[160]) 38 . . . p. Chr. In Trieste si costruisce basilica in onore della B. V. assunta in cielo sugli avanzi del tempio di Giove, Giunone e Minerva nel Campidoglio.

[161]) l. c. p. 135—138.

[162]) His addit Hortis: La corruzione di Capitolium in Caborio è certa. Capitolium, Capitor, Cabor. Fino da più antichi documenti uno de quartieri della città, da noi detti contrade si chiamava di Cabor, o Caborio.

quella di dritta per le cose sacre, l'altra a sinistra per le cose civili, la terza per le militari, ancorachè tutto si possa considerarlo opere militari. Nell' Area sacra, pressochè nel centro alzavasi il tempio delle divinità capitoline sopra zoccolo, sostenente collonne corintie scannellate, con bellissimi capitelli. Il tempio era a tre celle, l'una che terminava in abside circolare in direzione di sole levante, ed era a Giove, le altre erano quadrilatere, l'una a settentrione, sacra a Minerva, l'altra a mezzogiorno sacra a Giunone. Sembra fosse tutto aperto, una gradinata vi conduceva.

Templi Capitolini formam, cum Kandlerus ipse ὑπόθεσιν appellet neque quidquam ex ea discamus, omitto. Praeterea si discesseris a columnarum reliquiis ibi repertis in Museo civili Tergest. conservantur teste Hortisio Iovis et Minervae duo signa: aquila et Medusa. Idem adicit haec: L'altezza del colle sopra il quale stava il Campidoglio è di circa 240 m. Il foro era a piedi del Campidoglio verso meriggio.

2. Hispania.

Inter titulos Hispanienses cum deorum dedicationes mirum in modum rarae inveniantur, quod inscriptiones diis Capitolinis sacrae uno tantum alterove loco reperiantur non mirabimur[163]). Neque Capitoliorum plus unum exemplum ut probarem mihi contigit, idque in urbe quae dicitur

Hispalis.

Atque ex titulo quidem valde truncato, quo Capitolii mentio fit[164]) idem quod supra monuimus, cum disputabamus de Capitolio Beneventano et Veronensi, apparet, ibi quoque morem Romanum Capitolii in area statuas ponendi imitationem habuisse. Coloniam autem Hispalim deduxit Iulius Caesar, cui Iuliae Romulae nomen indidit; nec parvi, si Strabonem audias, nominis post Cordubam et Gades inter Baeticae provinciae urbes Hispalis fuit[165]).

Iam restat ut aliorum quorundam errores refutemus. Ac primus quidem in partes vocandus videtur esse Castan, qui solo

---

[163]) C. I. L. II 4076. 4079.

[164]) C. I. L. II 1194: M . . . P . . . | (st)atuam in Capit(olio | . . . f . . . c. loco | IV . . . titu . . . | C. C. R . . . D. — Quomodo suppleatur dictu diffiicillimum.

[165]) cf. Aem. Huebneri praefat. tit. Hispal.

testimonio usus titulo C. I. L. II 4079[166]) Tarracone Capitolium fuisse sibi persuasit[167]). Quamquam ego quoque Tarracone, quippe quod oppidum esset totius provinciae atque etiam totius Hispaniae primum, tale templum fuisse verisimile duco, tamen ex illo argumento apparere negaverim. — Nunc in medium prodeant Braunius et qui eum sectatus est Saglio, qui Illiberi Iovis Capitolini templum fuisse inde concludunt, quod illo concilio anno Chr. 305 ibi habito Christiani Capitolium ascendere vetentur[168]). Quod ne verisimile quidem est, probari certe non potest. Quae acta concilii qui diligenter perlegerit verba illa non in Illiberitanum sed in quodlibet Capitolium cadere libenter mihi concedet[169]). Nec firmius stabilitur Capitolium Rodense, quod silentio praeteriissem, nisi Braunius eadem atque scriptor actorum, quae ad illud respiciunt[170]) simplicitate rem credidisset. Sed quid dico credidisset, quasi quis credere possit, qui cum ipse nullum volumen evolverit, omnia pio animo exscripserit[171]). Quae acta qua fide utantur optime intellegetur si scriptoris ipsius verba hic apposuero. Dicit autem ille (§ 21): Cum congregatio episcoporum synodali concilio Galliae (sc. Ebrodunum) conveniret, quidam abbas ab Hispaniis pro utilitatibus ecclesiarum ibidem adfuit. Quem cum ego peccator inquirerem, ubinam passio gloriosissimorum martyrum consummata fuisset, sic mihi per ordinem et veritatem exposuit ac passionem conscriptam dedit. Ego itaque accipiens ab ipso abbate gesta martyrum valde rustice composita haec ut potui meae simplicitatis eloquio pro honore eorum credidi emendanda etc. etc. Quae cum

---

166) Arulae perparvae inscriptum est: Iovi Optimo Maximo Capitolino sacrum; cf. n. 4076—4078.

167) Ephem. Revue archéol. vol. 33 (a. 1877) p. 373 adn. 3. Ubi cum repetat Capitolia nisi in coloniis non obvia fieri, eius errorem inde quod minus acurate in condiciones singularum urbium inquisierit ortum esse reprehendo.

168) cf. Mansi., sacror. concil. nova et ampliss. coll. vol. II p. 15: prohibendum nequis Christianus aut gentilis ad idolum Capitolii causa sacrificandi ascendat et videat.

169) Adde quod illi quos citat Braunius p. 16 libri praeter illud concilium ad Capitolium confirmandum nihil continent.

170) vd. A. SS. Ian. vol. III (a. d. XI kal. Febr.) de ss. martyribus Vincentio Orontio Victore Gerundae in Hispania.

171) Ne impium quis me habeat erga manes viri de antiquitatibus Rhenanis optime meriti velim conferat Ducangium l. c.

ita sint, ut nescio cuius abbatis Hispani mendaciunculis fidem habeamus nemo a nobis impetrare poterit. Quod quam recte se habeat ex ipsis verbis deucet; ille enim dicit (§ 5): ad huius famam beati martyres Vincentius et Orontius ad vicum Rodas (ad Thicim amnem supra Gerundam) ubi iam dictus sceleratissimus Rufinus Capitolium constituerat pervenerunt. Sed satis superque de hoc fonte faeculento.

3. Africa.

a. Africa proconsularis.

Carthago.

Carthagine, illa Romanorum olim maxime infesta nec parvae potentiae aemula, a. u. c. 608 funditus eversa soloque devoto cum opes Carthaginiensium prorsus in Africa deletae essent, Romani quam celerrime ut provincias illas suas facerent operam dabant. Quae moribus et institutis Romanis quantopere assueverint praeter alia ingens docet numerus titulorum sacrorum. Quam ob rem non mirum quod multa pro numero Capitoliorum exstant vestigia. Carthaginiense autem commemoratur tituli fragmento marmoreo, quod donariorum diis diversis datorum synopsis videtur fuisse[172]). Deinde Cyprianus, qui anno p. Chr. 248 episcopus Carthag. factus sub Valeriano et Gallieno a. 256 vel 257 securi percussus fertur, voce Capitolii ita utitur, ut Carthaginiense quin significaverit dubium esse vix possit[173]). Illud initio saeculi quinti

---

[172]) C. I. L. VIII 1013: . . . cum sigmentis Mercu . . . | et Marte plagulas d . . . | . . . atias puras . . . Capitoliu . . . | . . . (p)rasina colore clavat . . . | cf. tit. Cirt. n. 6981. 6982. cf. n. 1141: (M. Titius Ae)sculapius sac(erdos) I(ovis) o(ptimi) m(aximi).

[173]) Lib. de laps. (ed. Hartel.) p. 242, 19: nonne quando ad Capitolium sponte ventum est, quando ultro ad obsequium diri facinoris accessum est, labuit gressus, caligavit aspectus, tremuerunt viscera, membra conciderunt . . . Unus ex his qui sponte Capitolium negaturus ascendit postquam Christum negavit obmutuit. — Ep. ad. Cornelium fr. c. 13 (ed. Hartel. p. 681, 12): Compelluntur adhuc insuper lapsi ut linguis adque ore, quo in Capitolio ante deliquerant, sacerdotibus convicium faciant, confessores et virgines et iustos quosque fidei laude praecipuos adque in ecclesia gloriosos contumeliis et malediciis vocibus persequantur. Itaque ii qui a nova fide defecerant Capitolini vocitabantur, cf. Pacian. ep. 2 (ap. Migne vol. XIII c. 3): numquid Cypriano sancto viro hoc obest quod populus eius apostaticum nomen

provinciae Africae pro aerario fuisse decreto impp. Theodosii et Valentiniani a. p. Chr. 429 ad Celerem proconsulem dato comperimus[174]).

At quo tempore factum est ut templum ad alium usum destinaretur? Constantinus a. p. Chr. 326 edicto monuerat ne quid novi operis a iudicibus inchoaretur exceptis templorum aedificationibus. Templorum autem appellatione ea aetate gentilium templa proprie intelligenda sunt cum qui fidem Christianam confiterentur ea ab significatione abhorrerent[175]). Eo igitur tempore templa nondum ut everterentur accidisse videtur. Cum anno 398 Carthagine septuaginta trium episcoporum concilium haberetur, ab Honorio et Arcadio petere patribus placuit, ut idololatriae reliquiae non solum in simulacris sed in quibuscunque locis vel lucis vel arboribus omnino delerentur[176]).

Neque igitur ab imperatoribus id petere audent ut in oppidis quoque templa destruantur. Quibus illi obsecuti sunt ita, ut anno post lege Damasci lata iuberent templa, si qua essent in agris, sine turba ac tumultu deleri; his enim deiectis atque sublatis omnem superstitionis materiam tolli[177]). Eodem autem anno iidem sanxerunt hoc: sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari. Ac ne sibi aliqua autoritate blandiantur, qui ea conantur evertere[178]). Quo anno cum in ipsa Carthagine Gaudentius et Iovius templa ut everterent operam darent, a. d. XIII. kal. Sept.

habet vel capitolinum vel syndreum? — Huc non pertinent Cypriani verba ep. 59 c. 18 (ed. Hartel. p. 688, 1) quid super est quam ut ecclesia Capitolio cedat..., quippe quae ad summam religionis Rom. intelligendam adhibita sint.

[174]) cod. Theod. lib. XI tit. I de annona et tributis n. XXXIV: Numquam pro dissimulatione iudicum compulsore aut opinatore Africanus possessor mittatur ad praedam, sed quattuor mensium ab edicti publicati die indutiis datis aurum a possessore Capitolio studio spontaneae devotionis sancimus inferri.

[175]) Cod. Theod. lib. XV tit. 1 n. 3 (ed. Gothofr.); cf. Augustin. d. vera relig. cap. 4.

[176]) Coll. concil. max. ed. Mansi. tom. III p. 971 n. 15; cf. Cod. canon. eccles. Afr. ed. Iustellus c. 58 p. 361: „templa qua in agris vel in locis abditis constituta nullo ornamento sunt, iubeantur omnino destrui“.

[177]) Cod. Theod. lib. XVI tit. 10 de paganis, sacrificis et templis n. 16 Ii qui antiquae religioni inhaerebant primum publice pagani appellantur lege anno 368 lata (cod. Theod. XVI 2, 18 cf. Lasaulx Der Untergang des. Hellenismus und die Einziehung seiner Tempelgüter p. 87.

[178]) Cod. Theod. XVI 10, 15.

Patavio ad Apollodorum Africae proconsulem edictum miserunt: aedes illicitis rebus vacuas nostrarum beneficio sanctionum ne quis conetur evertere; decernimus enim, ut aedificiorum quidem sit integer status, si quis vero sacrificio fuerit deprehensus, in eum legibus vindicetur[179]). Unde satis superque apparere videtur, cum pagani diis sacrificare vetiti essent templa aliquamdiu patuisse ita, ut una cum statuis ceterisque ornamentis musei tamquam speciem exhiberent. Minime autem habemus, unde iam tum ea deleta seu in ecclesias Christianas versa esse colligamus. Neque multo post Arcadius Honorius Theodosius a. 407 Roma edictum dederunt idque anno sequenti Carthagine promulgaverunt: aedificia ipsa templorum, quae in civitatibus vel oppidis vel extra oppida sunt, ad usum publicum vindicentur, arae locis omnibus destruantur omniaque templa in possessionibus nostris ad usus accommodos transferantur, domini destruere cogantur[180]). Cum vero iam Honorius et Theodosius anno 412 praeciperent ut omne aurum et argentum a possessoribus Carthaginem inferretur[181]), intra illos annos Capitolium in commune provinciae Africae aerarium conversum esse si non certum at veri simillimum videtur. — Relatis autem quae quamquam certo sciri nequeunt tamen probabilitate carere non videntur pedem referentes Castanium ad partes vocemus, qui quoniam Capitolia omnia ex imperatorum gratia atque liberalitate provenisse sibi persuasit eo deductus est ut Carthaginiense ab Augusto aedificatum esse censeret[182]). Quas coniecturas cum minime ille probaverit sed suspensas reliquerit, prudentius nobis facturi videmur si illi ne leviter fidem habeamus cavebimus. Ac profecto de nullo fere Capitolio quis aedificaverit dici potest, tum eodem iure si Castan. verum vidisset, Carthaginiense revocandum esset ad Caesarem; nam colonia, quam C. Gracchus eo a. u. c. 632 deduxerat, lege Minucii Rufi anno post exstincta primus dictator Caesar in loco veteris urbis, quae usque ad ea tempora respublica nulla fuerat, a. u. c. 710 co-

---

179) Augustin. d, c. d. 18, 54 — cod. Theod. XVI 10, 18.

180) Cod. Theod. lib. XVI tit. 10 n. 19 (= constit. Sirmond. ed. Haenel. in corpore iuris Anteiust. Bonnens. p. 465).

181) Cod. Theod. lib. XI tit. I n. XXXII: „Illationem omnem auri vel argenti a possessoribus in Carthaginiensi urbe poscendam esse decernimus.“

182) l. c. p. 67. 70.

loniam constituit, quam Augustus a. 725 tribus milibus civium Rom. agris assignatis supplevit.

Bibae.

Oppidi, cuius ruinae nunc Harét vocantur, sex tantum tituli cum exstent, perpauca dicenda sunt. Ac municipium dicitur C. I. L. VIII 907, flamen perpetuus et duovir quinqu. nominantur ib. n. 908. Capitolii autem praeter nomen nihil traditum habemus[183].

Aelium Sua (?).

Tituli C. I. L. VIII 928, qui mutilus et male scriptus intra annos p. Chr. 388 et 392 positus est, versiculo tertio[184]) scriptum est:

EX SC QVOD SYPTERIN /ELLISCAP

Capitolii igitur nominis tres primae litterae superesse videntur, qua de causa recte fortasse Wilmannsius versum ita restituit:

ex s(enatus) c(onsulto) quod supter in (c)ellis Cap(itolii).

Thugga.

Nomen Capitolii licet non servatum sit tamen cum ex titulo templi pronao inscripto tum ex ipsius templi descriptione Iovis Iunonis Minervae illud fuisse elucet. Itaque eum qui descripsit ipsum loquentem faciamus[185]): „Le portique ou pronaos en est encore assez bien conservé. Il se compose de six belles colonnes corinthiennes, dont quatre de face et deux sur les côtés. Ces colonnes ont une circonférence de trois mètres trente centim.; la distance qui les sépare est de deux mètres quatre-vingt-quinze centim. Elles ont été polies avec beaucoup de soin et le chapiteau qui les couronne accuse un travail fin et délicat. La cella a perdu depuis longtemps sa forme primitive. Grossièrement rebâtie à l'époque chrétienne, elle a été alors divisée en trois nefs aboutissant à trois autels, deux latéraux, placés sous une espèce d'encadrement rectangulaire, en un troisième central, qui servait de maître-autel. Ce dernier s'élevait sous une petite coupole ou abside demi-circulaire. Cette enceinte mesure environ quatorze

---

183) C. I. L. vol. VIII n. 906: [Iovi Iunoni] reginae Minèr[vae] | . . . m re . . . augg. Capitoli[um] | dedicavit curante rem pub[licam].

184) Minus accurate lapidem descripsit Guérin, Voyage vol. II p. 350 n. 503.

185) Guérin l. c. vol. II p. 125 sq.

mètres trente centim. de long sur dix m. soixante centim. de large. La porte qui y donnait entrée est encore debout. Les montants qui la forment sont d'une seule pièce bien qu'ils aient sept mètres de haut; il en est de même de l'architrave ou linteau qui repose sur ces deux pieds-droits et dont la longueur est de six mètres cinquante centim".

Hac ex tota descriptione hoc elucet, ecclesiam primam formam satis servasse. Hoc indicant tres classes una cum tribus aris, quae quin loco Iovis Iunonis Minervae sint, dubitatio vix relinquatur. Templi autem introitum sicut in templo Iovis Pompeiani una porta dedisse videtur. Cuius pronai in pariete supra scriptum est: Iovi optimo [maximo iunoni m]inervae aug. sacrum | pro salute imp. [caes. m. antonini a]ug. et L. Veri aug. Armeniacor(um) | Med. Part. Max. [l. marcius] Sim[plex et l. marcius] Simplex Regillianus sua p(ecunia) f(ecerunt)[186]. Atque in epistylio: L. Marcius Simplex et L. Mar|cius Simplex Regillianus s. p. f. Marcius Simplex haud dubie est is, cui pagus et cives Thuggenses ob egregiam eius in patriam munificentiam statuam posuerunt (cf. tit. n. 1494). Thuggensis oppidi forma diversis temporibus quae fuerit Wilmannsius in praefat. tit. (p. 173) exposuit. Primo enim saeculo appellatur pagus Thugg. (n. 1478), secundo Marco regnante pagus et civitas (n. 1494), tertio sub Alexandro municipium Septimium Aurelium Liberum Thugga (n. 1484) at titulo n. 1487 anno p. Chr. 261 posito col. Licinia Septimia Aurelia Alexandriana Thugga. Rei publicae igitur status ita videtur commutatus esse ut a Severo municipii, Gallieno regnante colonia iure ornaretur.

b. Provincia Numidia.

Theveste.

In arcu quadrifronti intus a dextra oppidum intranti occurrit C. Cornelii Egriliani praefecti legionis XIIII geminae testamentum, quo magnam rei familiaris partem populo Thevestino legavit ita, ut arcus cum statuis Augg. nn. et tetrastylis duobus cum statuis Iunonis et Minervae in foro fieret certisque diebus publice in thermis populo gymnasia praeberentur (cf. C. I. L. VIII n. 1859), praeterea pecuniae pars ad Capitolium daretur[187]).

---

[186]) C. I. L. VIII n. 14. 71. 1472.

[187]) ibid. n. 1858: [datasque a]d kapitol(ium) arg(enti) lib(ras) CLXX

Oppidum semel in itinerario Anton. p. 27 colonia vocatur, in inscriptionibus non vocatur, sed amplissima civitas (n. 1862 sub Diocletiano), civitas (n. 1863. 1888 sub Iustiniano). Quo tempore ad coloniae ius accesserit dici nequit; id factum esse sub finem saeculi secundi, fortasse sub ipso Severo, Wilmannsius in titulorum praefatione l. c. p. 215 pluribus docere studet.

Thamugadi.

Capitolii, cuius iam supersunt reliquiae, meminit titulus servatus „dans les ruines du portique oriental du grand temple, sur quatre pierres bordées d'une moulure en haut et en bas“[188]. De reliquiis autem Renerius apud Castan, l. c. p. 64 adn. his utitur verbis: „J'ai vu les ruines du Capitole de Thamugas. Le portique dont parle l'inscription est renversé; mais les colonnes y sont encore, couchées les unes à côté des autres. Le temple s'élevait sur une colline, à l'ouest de la cour formée par le portique. Sa façade était ornée de quatre colonnes monolithes, qui sont également renversées, et dont les dimensions sont telles que j'ai pu cheminer, comme en un sentier, dans une des cannelures de l'une d'elles“.

Colonia anno p. Chr. 100 a. L. Munatio Gallo, Traiani imperatoris legato, deducta vocata est col. Ulpia Marciana Traiana[189].

Lambaesis.

Haud procul a foro Lambaesitano medio fere loco inter Aesculapii templum et arcum Commodi iam supersunt ad orientem versus reliquiae templi Capitolini lapidibus quadratis exaedificati[190].

---

id est lances IIII . . . | . . . [et a]uri lib(ras) XIIII id est pibal(as) III scyphos II . . .

[188]) C. I. L. VIII n. 2388 (= ap. Renierum sylloge n. 1520): pro magnificentia saeculi d(ominorum) n(ostrorum) Valentiniani et Valentis semper Augustorum [quat] | tuor porticus Capitoli seriae vetustatis absumptas et usque ad ima fundamenta c[ollapsas] | novo (o)pere perfectas exornatasque dedicavit Publilius Caeionius Caecin[a albi] | nus vir clarissimus consularis curantibus Aelio Iuliano iterum rei publicae [curatore] | Fl(avio) Aquilino f(lamine) p(erpetuo) Antonio Petroniano f(lamine) p(erpetuo) Antonio Iannariano f(lamine) p(erpetuo) . . .

[189]) vd. Wilmanns. praef. l. c. p. 259.

[190]) Bis Wilmannsius de re publica Lambaesit. disputavit: primum dissertatione „die römische Lagerstadt Afrikas“, quam inseruit commentationibus in honorem Mommseni (ibi. cf. p. 199 sqq.), deinde praefat. tit. Lambaes. C. I. L. VIII p. 283.

Huius templi in interiore parte parieti marmore albo inducto incisa est inscriptio, cuius litterae exesis posterioribus partibus supersunt hae:

[numinibus au]g(ustis) Iovi optimo max(imo) Iunon[i reginae et genio Lambaesis][191].

Castris legionis tertiae post a. 123 Lambaesim translatis[192]) homines ad castra consistentes[193]), qui primis temporibus rei publicae forma carebant, cum ante a. 166 vici ius adepti essent, a. 207 iure municipii donati sunt. Cum autem illum titulum (2611) a. 208 positum esse sciamus, statim municipii iure concesso Capitolium aedificatum esse statuamus necesse est[194]).

Uzelis (Udjel).

C. I. L. VIII 6339: „Iovi optimo maxi|mo Genio areae fru|mentariae aug. sac(rum) | P. Marcius P. f. Q. Cres|cens mag(ister) ob statuam | quam ob honorem m|agistratus sui die III no|narum Ianuariarum | in Capitolio promiser(at) | inlatis r(ei) p(ublicae) summis ho|norariis decurionatus | et mag(istratus) s(ua) p(ecunia) f(ecit) et eodem an|no die XVI k(al.) Octobr(es) | dedicavit l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum) |". Cum igitur in hac re publica praeter decuriones fuerint magistri scilicet pagi, eo iure illam fuisse pro certo est.

Cirta.

Capitolium ibi fuisse tribus vel quattuor firmatur titulis, quorum primus[195]) est fragmentum indicis rerum sacrarum Cirtensium. In tabula enim marmorea, alta 0,38 m lata 0,56, quae nunc est in museo Parisino, legitur hoc:

---

[191]) C. I. L. 2612. Hoc titulo innisus Wilmanns. priorem (n. 2611) restituit sic: [impp. caess. Antonino iii et Geta ii] augg. coss. | [numinum augustorum Iovis o(ptimi) m(aximi) Iunonis reginae] Minervae et genii Lambaes(is) | [templum inchoatum a republica municipii Lambae]sitanorum anno et mensibus . . . | [circumactis feliciter consummatum est dedicante] M. Aurelio Cominio Cassian(o) | [leg. auggg. pr. pr. patrono mun]icipi |. Fortasse eodem pertinent tituli n. 2648. 2649.

[192]) Orat. Hadriani C. I. L. VIII 2532.

[193]) De his cf. Momms. in Hermae vol. VII p. 299 sqq.

[194]) Cum in castris praeter genios castrenses aut imperatorum numina alii dii non colerentur, omnes omnium deorum aedes extra vallum collocatas ad vicum pertinere recte observavit Wilmanns.

[195]) C. I. L. 6981 (= ap. Renierum n. 1890); cf. n. 6982.

Synopsis. | Iovis Victor argenteus | in Kapitolio habens in capite co|ronam argenteam querqueam | folior(um) XXX in qua glandes n(umero) XV fe|(rens) in manu dextra orbem argen|(teum) et Victoria(m) palmam ferentem | [spinarum] XX et coronam folior(um) XXXX | [in manu] (s)inistra hastam arg(enteam) tenens |.

Iuppiter Victor, cui Q. Fabius Maximus Rullianus primus aedem faciendam curasse fertur, Romae in Capitolio sedem obtinuerat[196]). Neque igitur Iuppiter Victor Cirtensis abhorret ab usitato more Romanorum[197]).

Eodem ex inventario supersunt fortasse tituli n. 6983: argenteum in | Kapitolio | ex HS CCCXII et n. 6984: [argent]eum | [in] Kapitolio | [ex] HS CCCX[198]). Templum ipsum Renierus apud Castan l. c. p. 64 describit sic: „Le Capitole de Cirta était situé dans la partie la plus élevée de la ville où se trouve aujourd'hui la Casbah. J'en ai vu également les ruines, qui ne subsistent plus aujourd'hui: elles ont fait place à l'hôpital militaire. Le temple était plus beau et plus grand encore qui celui de Thamugas. Sa façade dominait le grand escarpement au pied duquel coule le Rummel, à 200 mètres plus bas". — P. Sittius, ductor manus hominum, qui Caesaris partibus favebat, cum Cirtam Iuba victo cepisset, oppidum Boccho regi a Caesare concessum est ita, ut Sittianis deductis colonia civium Romanorum fieret. In titulis n. 7041. 7071 vocatur col. Iulia Iuvenalis Honoris et Virtutis. Tertio autem saeculo Cirta illius quattuor coloniarum conventus caput fuit[199]).

4. Graecia et Thracia.

Corinthus.

Caesar cum praeter multa alia etiam id in animo haberet, ut isthmo Corinthiaco perfosso viam maritimam efficeret, loco

---

196) Liv. X 29. Preller Myth. Rom. I³ p. 198/99.

197) Alterum exemplum praestat nummus Antonini Pii Antiochiae Cariae cusus; Mionet Descriptions de Médailles antiques III p. 317 n. 82; Eckhel. Catal. Mus. Vind. I p. 117. At contra in nummo M. Aurelii ibid. conflato Iuppiter Victor habet dextra manu hastam, sinistra Victoriam; Vaillant. Numism. impp. p. 49. 293; Eckhel. D. N. II p. 574.

198) Titulum mutilum n. 7014, quo Dracontius (cod. Theod. X 1, 5) vicarius Africae statuam dedicasse dicitur iuxta C.... ad Capitolium referri velim, nam quomodo aliter verba restitui possint non video. De statuis autem in Capitolio collocatis vd. supra.

199) Wilmanns. praef. tit. Cirt. p. 618 et Hermae vol. I p. 47 sqq.

veteris urbis a. 146 dirutae novam condere in animum induxit. Pompeio victo coloniam eo deductam esse affirmat Dio Cassius XLIII 50. In nummis saepius appellatur col. Laus Iulia Corinthus[200]). De Capitolio autem nihil traditum est nisi illud altiore quam theatrum loco fuisse[201]).

Constantinopolis.

Oppido novo condendo Constantinus non solum id egit ut novam imperii sedem sibi pararet, sed inde quod Romam ad unguem imitatus est, illam urbem, quae iam pridem caput imperii esse desierat, alio loco revirescere ac forma mutata recentibus viribus redire in vitam eum voluisse consentaneum est. Itaque cum a. d. V. idus Maias anni 330 urbem dedicaret eique nomen suum inderet, lege columnae marmoreae incisa atque in Strategio iuxta ipsius equestrem statuam collocata sanxit, ut secunda Roma vocaretur[202]). Quae cum ita sint, non mirum videtur, quod eius aevi a scriptoribus Constantinopolis vel sexcenties aut altera aut nova aut secunda Roma dictitabatur, quippe quae iisdem quibus Roma ipsa institutis magistratibus moribus uteretur[203]). Quin etiam senatum, cuius nisi umbra et imago nihil remanserat, Constantinopoli instituit magnificumque senaculum exaedificavit[204]). Vel septem colles ibi reperiri videbantur, quam ob rem ἑπτάλοφος urbs dicebatur[205]). Ut Roma ita nova Roma divisa est in quattuordecim regiones, quarum octava aeque atque illic Capitotolium continebat[206]). Utrum Constantinus fide Christiana imbutus mortuus sit annon, diiudicare cum difficile sit[207]), Braunio Capitolium primo statim tempore ad alium usum ab ipso imperatore destinatum esse arbitranti[208]) ut assen-

---

[200]) Eckhel. D. N. II 241.

[201]) Pausan. II 4, 5: ὑπὲρ δὲ τὸ θέατρόν ἐστιν ἱερὸν Διὸς Καπετωλίου φωνῇ τῇ Ῥωμαίων· κατὰ ἑλλάδα δὲ γλῶσσαν Κορυφαῖος ὀνομάζοιτ' ἄν.

[202]) Socrat. I 16. Urbem aeterna nomine se donasse ipse profitetur lege a. 334 lata, cod. Theod. XIII 5, 7.

[203]) Cassiod. Hist. trip. II 18, 6. Coripp. d. laud. Iustini I 345. III 156. 247. IV 101. 141. Claudian. in Rufin. 2. Auson. d. clar. urb. s. v. — cf. C. I. Gr. 8611. 9036. 9864. 8749 al.

[204]) Zosim. V 24.

[205]) Ducangii Cpolis Christiana I c. VIII.

[206]) vd. Ducang. l. c. I 20; Gyllium III 7; H. Jordanum Topogr. U. R. II p. 2. 4. 139.

[207]) Lasaulx l. c. p. 30; Burckhardt, Die Zeit Constantins d. Grofsen edit. alt. p. 389 sqq.

[208]) l. c. p. 22; „So hatte z. B. Konstantinopel ein Kapitol, welches aber

tiamur non adducimur. At contra illum, qui ne extremo quidem vitae tempore a deorum cultu prorsus abhorrebat, Constantinopoli aliorum quoque deorum aedes adificasse cum sciamus[209]), nihil aliud spectasse videtur quam ut diis Capitolinis quasi imperii dodominis novam sedem pararet[210]). Neque vero diu illorum cultui templum inserviit, cum signo Christi supra posito ad alium usum destinaretur.

Quod signum kal. April. anni 407 terrae motu concidit[211]). Quali autem usui postea Capitolium fuerit, non latet, cum ex lege a. 425 a Theodosio et Valentiniano data pro academia quadam illud fuisse comperiamus, in qua professores suis privilegiis utentes docerent[212]).

5. Asia.

Inter eas quae primae cultus Romanos receperunt provincias certe Asia fuit, quippe quae iam secundo a. Chr. saeculo templis ad honorem Romanorum aedificatis uteretur. Ac huius quidem

gleich von Anfang an mit Rücksicht auf die Geschichte der Entstehung der Stadt eine andere Bestimmung als eine heidnisch-religiöse gehabt haben muss".

209) Marquardt Enchir. III 114; Burckhardt. l. c. p. 359.

210) Num templum iam exstiterit, antequam Constantinus urbem conderet, diiudicandum libenter relinquo Castan iisque, qui Tiberio quaerenti, quid Sirenes cantaverint, respondere parati sint.

211) Chronic. paschale I p. 570 (ed. Bonn): *καὶ αὐτῷ τῷ ἔτει ἐγένετο βροχὴ μεγάλη σὺν βρονταῖς καὶ ἀστραπαῖς καὶ σεισμῷ μηνὶ ξανθικῷ καλανδαῖς ἀπριλίαις πρωθυμνίῳ, ὥστε ἀνασκευασθῆναι τὰς κεράμους τὰς χαλκᾶς τοῦ φόρου Θεοδοσίου ἐπὶ Καινούπολιν καὶ τὸ σιγνόχριστον τοῦ Καπετωλίου πεσεῖν*... Forum quod commemoratur Theodosianum eadem in regione prope Capitolium erat, cf. Ducang. I 21 Gyllium III 7 (p. 168).

212) Cod. Theod. XIV tit. IX de studiis liberalibus urbis Romae et Cpolis n. 3 (= Corp. Iust. II p. 334): „Sin autem ex eorum numero fuerint qui videntur intra Capitolii auditorium constituti, hi omnibus modis privatarum aedium studia sibi interdicta esse cognoscant, scituri, quod, si adversus coelestia statuta facientes fuerint deprehensi, nihil penitus ex illis privilegiis consequentur, quae his, qui in Capitolio tantum docere praecepti sunt, merito deferuntur". Cledon. gramm. (ap. Keil. C. Gr. L. V p. 14, 4): „Et quia praetermittendum mihi non visum est quod eventus admonuit, quodam tempore, dum ars in Capitolio die competenti tractaretur, unus e florentibus discipulis Ioannes a grammatico venia postulata intendens in alterum sciscitatus est...". Capitolii porro mentio est cod. Iust. VIII 10 de aedificiis privatis (Corp. II p. 336): *Πρὸς τούτοις παρακελευόμεθα μηδενὶ ἐξεῖναι πολλοὺς ἐφεξῆς κίονας ἐν ταῖς δημοσίαις στοαῖς ταῖς ἀπὸ τοῦ καλουμένου Μιλίου ἄχρι τοῦ Καπετωλίου ἀποφράττειν οἰκήμασιν ἐκ σανίδων μόνων ἢ καὶ ἄλλως ἐν μέσῳ τῶν κιόνων κατασκευαζομένοις.* Prolatis igitur his testimo-

moris auctores sine dubio fuerunt reges, qui hoc illo cultu Romanorum imitando vel novo instituendo orbis dominorum gratiam sibi reconciliare studebant. Velut Antiochus Epiphanes, qui mortuus est a. u. c. 590, cum diu obses fuisset Romanorum eorumque moribus Romae institutus esset, regno Syriae occupato ut Romanis blandiretur Antiochiae Iovis Capitolini splendidissimum templum perfecit[213]). Quod studium Romanorum proconsules et imperatores liberalissime adiuverunt, quippe quorum vinculis quam artissimis provincias continere maxime intererat. Sed tempus est ad oppida ipsa, in quibus Capitolia fuisse demonstrari potest, propius accedere.

Nysa (Cariae).

Ac Capitolium quidem significat titulus C. I. Gr. 2943, prid. Id. Aug. a. u. c. 753 conscriptus, quo agitur de sacris quibusdam beneficio Romanorum et imperatoris confirmatis. Ibi ad annum designandum additur urbis eponymus Diomedes, qui simul est Iovis Capitolini sacerdos perpetuus[214]). Iovis autem Capitolini sacerdos esse non potest nisi ubi Capitolium est.

Antiochia (Cariae).

Hac in urbe Iovem Capitolinum cultum templumque habuisse colligo ex nummis ibi cusis; scriptum enim videmus in nummo M. Aurelii:

ΖΕΥϹ·ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΥϹ·ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ.

Iuppiter Capitolinus sedens dextra fert hastam, sinistra Victoriam; ex averso Fortuna stans cum attributis[215]). In altero qui pertinet ad Antoninum Pium nummo legitur:

ΖΕΥϹ·ΚΑΠΕΤ···Ϲ·ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ.

---

niis non multum ad rem sunt Corippi versus (de laud. Iust. Aug. III 121—125): „Ipse triumphorum per singula vasa suorum Barbarico historiam fieri mandaverat auro, Tempore quo captis iniecit vincla tyrannis Iustinianus, ovans quarto cum consule princeps Alta triumphali tereret Capitolia pompa“.

[213]) Sic Smyrnenses anno a. Chr. 195 se primos Deae Romae templum fecisse gloriantur, Preller. Mythol. Rom. II[3] 354. Atque Asiam provinciarum omnium maxime Romae et imperatoribus templa exstruxisse et Urbis quosdam mores et instituta imitando exprimere studuisse docent cum tituli tum vel maxime nummi. E. g. Antiochiae Pisidiae non solum vicus Germalus (C. I. L. III 296) et Velabrus (ib. 289) sed etiam Tuscus sicut Romae inveniebatur (ib. 297); de ludis Capitolinis vide nos adn. 3.

[214]) *Ἱ]ερέως Ῥώμης καὶ Αὐτοκράτορος Καίσαρος Σεβαστο[ῦ Ἡρακλ]είδου τοῦ Ἡρακλείδου, Μασταυρείτου· στεφανηφόρου Διομ[ή]δους τοῦ Ἀθηναγόρου τοῦ Διομ[ή]δους, ἱερέως Διὸς Καπετωλίου διὰ βίου . . .*

[215]) Vaillant. p. 49. 293; Eckhel. II p. 574; Mionet III p. 317 n. 83. —

Idem Iuppiter (Victor) Capitolinus sedet in templo tetrastylo habens dextra manu Victoriolam sinistra hastam[216]).

Accedit tertius nummus ap. Mionet III p. 314 n. 61:

ZЄYC·KAΠITοΛΙο≤ ANTIOXЄΩN.

Iuppiter stat dextra pateram sinistra hastam ferens.

Teos (Lydiae).

C. I. Gr. 3074: *Διὸς Κτησίου* | *Διὸς Καπετωλίου* | *Ῥώμης* | *ἀγαθοῦ δαίμονος*[217]).

Smyrna (Lydiae).

C. I. Gr. 3153: *Κλαυ]δίου Μενεκράτους* | .... *Κλ]αύδιος Τιμοκλ[έ]ους* | ... *αιος, ἱερεὺς Διὸς Καπε[τωλίου]* ...

Antiochia (Syriae).

Antiochus Epiphanes, octavus Seleucidarum, qui inde ab anno u. c. 579 usque ad a. 590 regnavit, postquam diu Romae obses fuit moribusque Romanis institutus est, ut orbis dominis blandiretur, templum Iovis Capitolini splendidissimum Antiochiae fecit[218]). Quod cum posteris temporibus periret, Tiberius, cum

---

Notatu dignum videtur, quod illa vox „*Ζεὺς Καπιτωλιεὺς*" praeter hunc locum nusquam quod sciam occurrit; forma enim adiectivi invenitur *Καπιτώλιος, Καπετώλιος, Καπετωλῖνος, Καπιτωλεῖνος*, sed nusquam *Καπιτωλιεύς*.

[216]) Eckhel. Catal. Mus. Vindob. I p. 117, D. N. II p. 574; Mionet. III p. 317 n. 82. De Iove Victore vide supra s. v. Cirta.

[217]) „Litterae satis quidem rudes sunt; sed nihilo minus titulus imperatorum aetate prior videtur, et fortasse iam tum factus, quum Pergamenum regnum in Romanorum potestatem veniret". Franzius.

[218]) Liv. XLI 25: „Et Antiochiae Iovis Capitolini magnificum templum non laqueatum auro tantum sed parietibus totis lamina inauratum et alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni fuit, non perfecit". Idem refert Granius Licinianus p. 46 (ed. Pertz.): „extendit duos colossos duodenum cubitorum ex aere, unum Olympio alterum Capitolino Iovi". Idem Polybium tradere exspectaveris; at ille fragmento libri XXVI 10, 11 (ed. Dindorf.) de nimia illius in rebus sacris largitione hoc tantum exhibet: „*ἐν δὲ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις καὶ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς πάντας ὑπερέβαλε τοὺς βεβασιλευκότας*". Etiam Iovi Victori ille rex templum exstruxisse videtur, cum in nummis eius obvius fiat, e. g. ap. Eckhel. D. N. III 224: ΒΑ≤ΙΛΕΩ≤ · ΑΝΤΙΟΧΟΥ · ΘΕΟΥ · ΕΠΙΦΑΝΟΥ≤. Iuppiter seminudus sedens dextra fert Victoriam, sinistra hastam. Discidio inter Alexandrum Zabbinaeum et Antiochum Grypum (qui regnavit inde ab a. 125 a. Chr.) orto illius Iovis Victoris signum ab illo ablatum est, si Trogum Pompeium audimus 39, 1: „fit deinde inter reges proelium, quo victus Alexander

Antiochiae moraretur, refecit sive denuo exaedificavit[219]). Prae his templi Capitolini testimoniis quamquam Acta sanctorum spernam licet, tamen eorum quoque rationem haberi haud inutile videatur. Dico acta ss. martyrum Iuliani Basilissae Celsi aliorum[220]), quorum meminit Marinius Act. fratr. Arval. I 81. Illa antiquissima esse Bollandius inde efficit, quod scriptor in exordio eorum se scribere quae ipsius oculis viderit affirmat. At quaeritur, rectene nostra urbs intelligenda sit. Martyrologia enim plurima cum Iulianum martyrium passum esse Antiochiae tradant neque qua in terra illa sita sit indicent, recentiores, in quibus Baronius, Antiochiam Syriae *κατ' ἐξοχὴν* significari arbitrantur. Accedit, quod Iuliano cuidam ibidem ecclesiam aedificatam esse Procopius (de bello Persico lib. 2) prodit. At illa ecclesia, si audis Chrysostomum homil. III 47, alteri consecrata erat Iuliano. Adde quod praeter hanc celeberrimam Syriae Antiochiam plurimae eiusdem nominis urbes fuerunt, quarum Eustathius solus quattuordecim enumerat. Ut ut igitur est, hoc certe constat, actorum verba optime quadrare ad ea quibus Livius de Capitolio Antiocheno utitur. En habes verba (§ 24): „Tunc Marcianus tam vera ratione confusus iubet omnes pontifices adesse et dixit eis: ite et immortales deos sacrificis optimis honorate, ut huic rebelli suo Iuliano ostendant virtutem suam. Sanctus autem Iulianus dixit ad praesidem: Marciane, festina celeriter ingredi in templum, vocant te dii tui. Tunc Marcianus . . . venit ad templum, vidit quoque omnia simulacra crystallina et electrina vel aurea atque argentea vel ex omni metallo, quae amplius quam quinquaginta dignoscebantur . . .[221]) (§ 54). Alia die convocans ad se sacerdotes (Marcianus) dixit: Ornate venerandum templum Iovis, cuius est consuetudo semel in anno patefieri, ubi dignoscuntur veneranda nu-

---

Antiochiam profugit. Ibi inops pecuniae, cum stipendia militibus deessent, templo Iovis solidum ex auro signum Victoriae tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribens: nam Victoriam commodatam sibi ab Iove esse dicebat. Interiectis deinde diebus, cum ipsius Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis tacite evelli iussisset deprehensusque in sacrilegio . . . interficitur".

219) Ioan. Malalae Hist. chron. (ed. Oxon.) p. 302: *Ὁ δὲ Τιβέριος Καῖσαρ ἔκτισεν ἐν τῇ αὐτῇ Ἀντιοχείᾳ πόλει ἱερὸν μέγα Διὸς Καπετωλίου.* Ottfr. Muellerus Commentat. de antiquitatibus Antiochenis (Comment. societat. Gotting. vol. VIII) I § 21 templum suspicatur fuisse in monte Silpio, in eo cacumine, quod cum arce proxime coniunctum fuisset.

220) A. SS. a. d. III. id. Ian. (mensis Ian. tom I p. 571 sqq.).

221) vide infra s. v. Treveri.

mina Iovis Iunonis Minervae, ex electro puro imagines constructae, quibus suavissimus Cupido delectamenta ministrat; libationes et incensa praeparate. Sacerdotes itaque consuetas praeparant hostias. Quid multa? Illuxit dies, patefacto templo universa multitudo convenit admirantes templum patefactum, quod vix semel in anno principum natali patefiebat. Tale enim erat opus fabricae, ut non marmore, sed tabulis argenteis parietes et pavimentum stratum splenderent, auro purissimo et margaritis vel lapidibus crispantes camerae. Cumque omnia pararentur, ingressus templum Marcianus iubet sanctos dei adduci. Quibus praesentatis dixit: hoc enim egi pro vestra salute, ut in isto terribili templo thura diis immortalibus incendatis". Eodem fortasse spectant verba, quae exhibent acta disputationis s. Achatii episcopi cum eodem fortasse Marciano Antiochiae habitae[222]): „Marcianus ait: Christianorum consuetudo est, multa in deos nostros maledicta confingere; propterea te venire mecum ad Iovem Iunonemque praecipio".

Aelia Capitolina.

Hierosolymis a. p. Chr. 70 a Tito dirutis postquam Iudaei didrachmum, quod prius ex lege in templi Hierosolymitani usus solverant, Iovi Capitolino pendere iussi erant[223]), Hadrianus (tertio fortasse imperii anno[224]), quo melius Iudaeorum ferociam frangeret, in loco oppidi deleti coloniam Aeliam Capitolinam constituit et Iovis Capitolini templum exstruxit[225]). Veteris igitur oppidi nomine quoque deleto Aeliae nomen cum apud scriptores tum in tabulis publicis solum in usu erat, donec episcopi Christiani illam Hierosolymorum vocem antiquam in memoriam et usum revoca-

---

[222]) Ruinart, Acta martyrum sincera et selecta Veronae 1731 p. 129.

[223]) Dio Cass. LXVI 7: *οὕτω μὲν τὰ Ἱεροσόλυμα ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Κρόνου ἡμέρᾳ, ἣν μάλιστα ἔτι καὶ νῦν Ἰουδαῖοι σέβουσιν, ἐξώλετο· καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διὶ κατ' ἔτος ἀποφέρειν*; cf. Ioseph. bell. Iud. VII 6, 6; Sulp. Sever. chron. (ed. Halm.) II 30, 7.

[224]) E. Kuhn, Die städtische und bürgerliche Verfassung des römischen Reichs II 357.

[225]) Dio. Cass. LXIX 12: *ἐς δὲ τὰ Ἱεροσόλυμα πόλιν αὐτοῦ ἀντὶ τῆς κατασκαφείσης οἰκίσαντος, ἣν καὶ Αἰλίαν Καπιτωλῖναν ὠνόμασε, καὶ ἐς τὸν τοῦ ναοῦ τοῦ θεοῦ τόπον ναὸν τῷ Διὶ ἕτερον ἀντεγείραντος πόλεμος οὔτε μικρὸς οὔτε ὀλιγοχρόνιος ἐκινήθη*; cf. Paulin. Nol. ap. Mignium Patrol. Lat. vol. 61 p. 326 D et Sulp. Sev. II 31, 3.

runt[226]). Cuius coloniae in nummis, qui inde ab Hadriano usque Hostilianum sunt, templum Capitolinum depictum interdum occurrit[227]).

Iam restat ut exemplum haud ita sincerum afferamus. Caesareae enim, quod est Cappadociae oppidum, Capitolium nisi actis s. Sergii martyris[228]) non commemoratur. Ut nihil dicam de fide et sinceritate eorum: quod sacrae viae ibi mentio est, animadversione dignum videtur, licet negari non possit in ipsa Asia alia locorum urbis Romae nomina (e. g. v. Tusci) nobis occurere.

6. Gallia.

Narbo.

Sidonius Appollinaris inter ea quae Narboni decori sint monumenta Capitolium quoque commemorat[229]). Ausonius cum

---

[226]) Kuhn. l. c. p. 358.

[227]) e. g. in nummo Hadriani ap. Mionet. V 516 n. 2 (= Vaillant. I 153 = Eckhel D. N. III 443) depictum est templum distylum, in quo tres figurae, quas Iovem Capitolinum Minervam Genium urbis esse Vaillantius et Mionetius probarunt. Rectius autem cum Eckhelio figuram sinistram non genium sed Iunonem esse iudicabimus, cum hastae in manibus geniorum raro inveniantur. Addo nummum Diadumeniani, in quo videre licet templum testrastylum, in quo Iuppiter sedens inter duas figuras muliebres, quarum alteram Minervam galeatam, alteram Iunonem esse arbitror; aliter quidem Mionet. V p. 520 n. 25. Vaillant. p. 69. —

[228]) A. SS. a. d. VI kal. Mart. (mens. Febr. tom. VI p. 468 § 2): „Contigit autem in diebus illis nefandissimo Iovi, quem profanorum idolorum gentiles putabant esse principem, annua sacrificia fieri in Capitolio quod basilicae praesidis vicinum erat: ad quod sceleratorum turbae cum immundis hostiis concurrebant. Alii autem per viam sacram, secundum eorum morem sacrilegum, cum albis et laureatis tauris et magna exsultatione, ut daemoniis ipsis sacrificarent, ad ipsum Capitolium festinabant, quadam execrandam festivitatem simulacri vanissimi celebrantes“.

[229]) Carm. 23: Salve, Narbo, potens salubritate
urbe et rure simul bonus videri
muris civibus ambitu tabernis
portis porticibus foro theatro
delubris capitoliis monetis
thermis arcubus horreis macellis . . .

Capitolii sicut palatii numerus pluralis a prosae orationis posterioris aetatis scriptoribus si recesseris nisi apud poetas non invenitur, cf. Neue, Formenlehre I (1866) p. 411.

templum Narbonense ex marmore Pario factum cum Capitolio Romano comparat, quin Capitolium significaverit dubitatio iam non relinquitur[230]).

Accedit quod acta S. Pauli confessoris episcopi Narbonensis Capitolium respiciunt[231]). Neque vero Capitolio sublato nomen ex lingua vulgari discessit sed viguit usque ad decimum fere quartum p. Chr. saeculum. Hoc inde sequitur, quod in instrumentis emptionum seu latinis seu gallicis, quae in tabulario urbis Narb. conservantur, frequentatur[232]). Unde effici videtur Capitolium fuisse

---

[230]) De clar. urb. XIII, 14:
quodque tibi quondam Pario de marmore templum
tantae molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius Catulusque iterum, postremus et ille,
aurea qui statuit Capitoli culmina Caesar.

[231]) A. SS. a. d. XI kal. April. (mens. Mart. tom. IX p. 373): „Cuius cum magisterio infidelitas decresceret, fides cresceret, conversa Narbonensium superstitio, quae adhuc diversorum templorum culturis et Capitolii ambitione pollebat“.

[232]) Anno 1066 queritur Guifredus, archiepiscopus Narbonensis, quod Bernardus Berengarius vicecomes „aufert ei ipsam sedem sanctorum Iusti et Pastoris et terras quae ibidem est, medietatem civitatis Narbonae ex parte Circi et turres quae in eadem parte sunt et ipsum Capitolium quod ibidem est“. Discordia deinde ita composita est: „... et de ista hora in antea non dezebrei Guifredum ... de ipsos muros vel turres qui sunt de Porta Regia usque ad turrim Maurescam ex parte Circi, neque de ipsa sede Sanctorum Iusti et Pastoris, neque de ipso Capitolio quod est in Narbona neque de ipsas fortezzias quae modo ibi sunt et in antea ibi erunt“, cf. Valesii Notit. Galliar. (a. 1675) p. 370 nec non Histoire générale de Languedoc par Dom. Q. Devic et Dom. I. Vaissete (Toulouse 1879 sqq.) tom. V p. 540 sq. — a. d. XVI kal. Iul. a. 1144: „Raimond de la Porte Royale, en présence de Bérenger de Capdueill et ...“ Histoire V p. 1563. — a. d. IV kal. Mart. a. 1193: „hoc totum fuit factum et iuratum infra muros civitatis Narbone, in domo Petri de Lacu, in presentia Petri Raimundi de Capitolio et Berengarii filii eius“. Histoire VIII p. 418. — a. d. IX kal. Mart. a. 1203: „hoc totum fuit factum et laudatum et firmatum ab eodem domino Aimerico, in curia Narbone, in presentia et testimonio Berengarii de Capitolio et fratris eius Guillelmi de Capitolio ...“ Hist. VIII p. 489. — a. d. XIII kal. Mart. a. 1215: „Arnaud, archevêque de Narbonne ... s'accorde avec Jean Bistan, au sujet de la possession de cinq tours, situées sur les murailles de la cité, de leurs manses et du Capitole“. Histoire V p. 1576. — a. d. XVII kal. Maias a. 1215: „testes sunt Raimundus de Salis, Bertrandus de Oviliano, Raimundus de Castronovo, Bernardus de Capitolio ...“ Histoire VIII p. 665. — Capitolium situm erat in ea urbis parte quae vice comitis erat; itaque nomen saepe occurrit in pacis instrumentis inter archiepiscopum et vicecomitem factis, e. g. mense Aug. a. 1232 (Histoire VI p. 672). Anno 1248 queritur

in urbis loco editissimo „à quelque distance de la porte de Béziers et des murs actuels de la ville“ (Histoire génér. I p. 123). Nostris autem temporibus eo loco, ubi Capitolium stetisse putatur, effossae sunt marmoris Parii reliquiae, quas ad Capitolium pertinere quibusque Ausonii verba confirmari viri docti Galliae credunt[233]). Illo autem urbis loco, qui in instrumentis medii aevi Capitolium sive Capdueil dicebatur, quo iure palatium regis Alarici fuisse vulgo credatur non diiudico. Illud palatium antiqui Capitolii loco fuisse[234]) certe nullis argumentis firmari videtur.

Coloniam, quae civium Romanorum iam a. 118 a. Chr. a Q. Marcio Rege deducta erat, a. 46 a. Chr. Caesar per Ti. Claudium Neronem, imperatoris Tiberii patrem militibus decimae legionis deductis supplevit[235]).

Tolosa.

Saturninus, ecclesiae Tolosanae primus episcopus, cuius acta sincera ex cod. Fossatensi saec. IX Ruinartus exaravit[236]), in Galliam sub annum 245 p. Chr. venisse fertur. Qui cum, ut domo sua egressus ad ecclesiam parvulam iuxta Capitolium aedificatam perveniret, quin illud transiret facere non posset, quodam die paganorum turba, quod Saturnino auctore simulacra obmutuisse videbantur, lacessita et furibunda illum comprehensum tauroque

---

Guillaume de la Broué Innocentio IV papae: „de ce qu'Ammalric (sc. vicecomes) s'étoit approprié les fiefs qui relevoient de l'église de Narbonne et en particulier du Capitole“. Nonis Iuliis a. 1251 controversia disceptata est ita: „Le vicomte est condamné . . . à renoncer à l'hommage qu'il avoit reçu de Bertrand du Capitole, pour le Capitole de Narbonne“. Histoire VI p. 824; Vales. N. G. p. 370. — Kal. Oct. a. 1234: „. . . haec iuraverunt tenere et observare R. Isardi, P. de Capitolio, G. Alquerius consules civitatis Narbone . . .“ Histoire VIII 982 — A. 1277: „Pierre de Montbrun acheta de Guillaume du Capitole toute la portion du Capitole, que celui-ci possédoit dans la ville de Narbonne, dans la paroisse de Saint-Sébastien, avec les maisons dépendants . . .“ Histoire IV p. 253. — a. d. III. non. Iun. a. 1345: „Gauzbert du Val. obtint du roi Philippe VI l'autorisation de bâtir une chapelle pour les sœurs repenties dans le Capitole“. Histoire IV p. 254.

233) Castan. p. 68/69.

234) Ruinart. in commento Gregor. Turon. de gl. mart. I 92; Histoire générale I p. 513. —

235) Zumpt. l. c. I p. 313; Herzog. Galliae Narb. hist. I c. 1.

236) Acta martyrum sincera et selecta, Veron. 1731 p. 109 sq. cf. Martyrolog. Rom. ed. Baronius a. d. III kal. Dec.; Tillemont, Mémoires pour servir à l'histoire eccles. III 299; Histoire générale I 337.

ad sacrificandum parato alligatum de collis cacumine tauro stimulis incitato detraxit, quo factum est, ut ille capite scisso, martyrii mortem oppeteret[237]).

Medio aevo Capitolii nomen falso translatum est ad curiam et magistratum Tolosanum significandum, cum tamen rectius curia capitulum, magistratus capitularii dici deberent. Itaque cavendum erit, ne inde, quod nomen Capitolii instrumentis aevi medii ad curiam vel magistratum intelligendum falso usurpatur, Capitolium usque ad ea tempora viguisse exisitimetur[238]).

---

237) Cuius relationis communis fortasse fons est singularis Saturnini missa, quam edidit Mabillonius inter Liturgias Gallicanas lib. 3. Inter scriptores qui primus ad eam respicit, est Appollinaris Sidonius, inde ab anno 472 Arvernorum episcopus, qui epist. IX 16 sic mortem Saturni describit:

E quibus primum mihi psallat hymnus
qui Tolosatem tenuit cathedram,
de gradu summo capitoliorum
praecipitatum.

Quem negatorem Iovis ac Minervae
et crucis Christi bona confitentem
vinxit ad tauri latus iniungati
plebs furibunda.

Qui eodem fere quo Gregorius Turonensis tempore vixit Venantius Fortunatus Sidonium secutus sancti laudes praedicat his versibus (miscell. II 11):

sed vitiata malis et plebs infecta venenis
curari effugiens aegra iacerc volens.
Comprendit male sana virum; ad Capitolia duxit
atque suo medico vulnera plura dedit.

Gregorius Turonensis, qui floruit inde ab anno 538 usque ad a. 594, hist. Franc. I c. 28 (patrol. Lat. cur. Migne vol. 71 § 23): „Cumque comprehensus ad Capitolium duceretur, relictus ab his (sc. presbyteris) solus attrahitur. Hic vero tauri furentis vestigiis alligatus ac de Capitolio praecipitatus vitam finivit". Idem lib. miracul. I c. 48: „Qui impulsu paganorum, bovis petulci religatus vestigiis, per gradus Capitolii praecipitatus, praesentem finivit vitam capitis compage dispersa".

238) e. g. Petri Mauricii, abbatis Cluniacensis, qui obiit a. 1158, in epistula adversus Petrobrusianos (ap. Valesium N. G. p. 620) verba haec sunt: „Ista cum in Capitolio senatorum, quales vos aggregare soletis, de consulari vel regio tribunali declamatorio ore vobis proferre moris sit, adducto statim in sententiam vestram eruditissimorum illorum conventu, invictae orationi subito acclamatur". Curia autem, quae dicebatur et nunc dicitur Capitolium, aedificata est a. 1294; inde igitur magistratus urbis, qui nunc vocantur capitouls (capitularii) dicti sunt Capitolini cf. Stark, Städteleben, Kunst und Altertum in Frankreich p. 186. 189; Millin, Voyage dans les départements du midi de la France IV p. 428; Histoire générale VI p. 213.

Tolosa, Tectosagum sicuti Nemausus Arecomicorum caput, a Plinio III 5, 87 Latinum oppidum, a Ptolemaeo II 10, 9 colonia cum dicatur, a Zumptio l. c. I 413 inter colonias ab Hadriano deductas enumeratur.

Nemausus.

Medii aevi instrumentis publicis inde ab anno 1000 conscriptis ecclesia parva haud procul ab aedificio quod nunc dicitur Maison carrée sancti Stephani de Capitolio sive S. Etienne de Capdueil vocatur[239]). Qua de causa Poldo d'Albenas et eius aetatis viri docti illud aedificium antiquum Capitolium esse censuerunt. Verum tamen cum nescirent, quid esset Capitolium, vel curiam vel senaculum eo nomine significabant. Deinde fuerunt qui, cum Spartianus in vita Hadriani c. 12 ab imperatore Nemausi ad honorem Plotinae basilicam opere mirabili exstructam esse tradat, aedificium „Maison carrée" illam basilicam haberi vellent[240]). At ex tota aedificii descriptione templum fuisse dilucide apparet[241]). Cuius autem vel quorum deorum fuerit, dici nequit. Templum deorum Capitolinorum fuisse si non certum at certe a probabilitate non abhorrere videtur[242]). Inscrip-

---

[239]) Poldo d'Albenas Histoire de Nismes (Lyon 1560) p. 73 sqq. A. d. VIII id. Ian. ann. 1100 Raimundo, episcopo Nemausensi convenit cum Pontio, abbate ecclesiae 'Chaise-Dieu': „Diffinivit namque guirpivit praedictus abbas Pontius Raimundo Nemausensi episcopo et clericis eius et eorum successoribus ecclesias intra eandem urbem fundatas, videlicet cappellas Sancti Martini et S. Petri, quae sunt in castello quod dicitur Arenas et capellam S. Thomae quae est in muro civitatis et aliam S. Stephani quae est iuxta Capitolium . . ." Histoire générale V p. 762. A. d. IV id. Dec. a. 1156 Adrianus IV papa privilegia ecclesiae Nemausensis Aldeberti, episcopi Nemaus., gratia per litteras definivit ita, ut eius potestatis esset praeter alias quasdam ecclesias etiam ecclesia S. Stephani de Capitolio; cf. Histoire gén. III p. 803.

[240]) De illa basilica, cuius exactorem T. Flavium Hermen inscriptio indicat, quaeso conferas Desjardins, La date de la basilique de Nîmes in ephem. Revue archéologique 1881 p. 65 sqq.

[241]) Spon, Recherches curieuses d'antiquité (à Lyon 1683) p. 159—163; Millin, Voyage dans les départements du midi de la France IV 1 p. 212—215; Histoire générale de Languedoc I p. 256; Stark, Städteleben, Kunst und Altertum in Frankreich p. 100 sqq.

[242]) Stark p. 101: „Ausgrabungen sind von 1822—1833 gemacht, deren Resultat folgendes ist: daraus geht hervor, dafs wir einen langgestreckten, von einer Säulenhalle umschlossenen Platz vor uns haben, dessen südliches Ende aber halbkreisförmig endete, dafs vor diesem Halbkreis im Süden sich

tionem, quae supra portam in parte aedificii adversa erat et quae clavis aeneis alligata antiquissima vulgo existimatur, litteris exesis vel direptis ut clavorum auxilio restitueret nemini adhuc contigit. Certe omnes illius restituendae conatus acuminis ludicra sapiunt[243]). Ludovico XIV regnante Colbertus minister aedificium Lutetiam Parisiorum totum transferre consilium cepit. Quod cum factu difficillimum videretur, a. 1670 Augustinis pro ecclesia concessum est ea lege, ut reliquiae antiquae servarentur. Nostro autem saeculo Napoleone auctore illud aedificium museum rerum antiquariarum et pinacotheca factum est. — Nemausus, Arecomicorum caput, coloniae Latinae ius a Iulio Caesare adepta est[244]).

Augustodunum.

Eumenius rhetor ille Augustodunensis, qui salarium annuum a Constantio perpensum, ut scholas Aeduorum, quas Maenianas vocat, restauraret, maximam partem contulit, a. 296 p. Chr. illam habuit orationem pro restaurandis scholis, qua provinciae Lugdunensis a praeside petit, ut restaurationem scholae Maenianae, Bagaudico tumultu vastatae, principibus commendet. Orationis autem in capite nono decimoque Maenianam inter templum Apollinis et Capitolium, illos quasi oppidi oculos, sitam describit[245]).

---

die Maison Carrée auf einer über 3 Fufs erhöhten Plattform aufbaut und mit ihrem über 10 Fufs aufsteigenden Unterbau als Zielpunkt dieser Anlage erhebt. Es ist sonach wohl kein Zweifel, dafs wir ein Forum in antikem Sinne vor uns haben mit einem Tempel an der einen Spitze und einem entsprechenden Gebäude, vielleicht einer Curie an der andern".

243) Séguier, Dissertation sur l'ancienne inscription de la maison carré de Nîmes, Paris 1759, titulum sic restituit: C. Caesari Augusti f. cos. L. Caesari Augusti f. cos. | designato | principibus iuventutis. Ille igitur si rectum enucleasset, aedificium a. u. c. 754 ad honorem C. et L. Caesarum dedicatum esse censeremus. At recte monet Millin l. c., illius quoque conatus ad arbitrium institutos atque magnum litterarum numerum non modo non in restituendo neglectum sed ne eandem quidem litteram semper eodem modo respectam esse.

244) Momms. Hist. R. III 533; Herzog, Gall. Narb. cap. 1. Aliter quidem Zumptius l. c. I p. 413.

245) „Quid autem magis in facie voltuque istius civitatis situm est quam haec eadem Maeniana in ipso transitu advenientium huc invictissimorum principum constituta? . . . Ad hoc, vir perfectissime, opus istud reddit illustrius et cum ipsorum Caesarum tum etiam omnium hominum aspectui promptius, quod praecipuo est loco positum quasi inter ipsos oculos civitatis, inter Apollinis templum atque Capitolium . . . ibi adulescentes discant . . . maximorum principum facta celebrare, ubi ante aras quodammodo suas Iovios

Templum medio fere urbis loco fuisse effossiones nostra aetate institutae confirmare videntur[246]).

Augustodunum, urbem Aeduorum primariam, quamquam Eumenius l. c. cap. 5 init. coloniam appellat, eo iure non fuisse videtur, cum nusquam excepto Eumenii loco colonia dicatur (cf. Zumpt. l. c. I 438).

Vesontio.

De Capitolio cum Castan ita egerit, vix ut quidquam monitu dignum relinquatur, fieri non potuit quin eum totum sequerer.

Ordinarium antiquum ecclesiae Bisuntinae, intra annos 612 et 625 conscriptum et postea saepius amplificatum, pompam ecclesiasticam die Palmarum celebrandam sic describit[247]): „Postquam ... processio extra ecclesiam (sc. S. Pauli) fuerit, incipiat maior cantor antiphonam Cum appropinquaret etc. Quae sic protendatur donec ad Capitolium perveniatur. Clerici cum processione monticulum ascendant et ibi se ordinent honeste et religiose; turba autem in convalle stet ... His finitis, ordinent se sicut prius et teneant coeptum iter ... Et cum venerint ad Portam Martis, quae nunc dicitur Nigra, stent pueri super murum civitatis, cantantes laudes Gloria etc.". Unde sequitur, ut septimo saeculo medius inter ecclesiam s. Pauli et portae Nigrae locus, qui non in monticulo sed eius sub radicibus esset, nomen Capitolii ferret. Tertio decimo saeculo cum illa urbis regio adeo aedificiis referta esset, ut pompa ad Capitolium consistere nequiret, crux adoranda translata est ad ecclesiam S. Mauritii, quae proxime sita Capitolium superabat[248]). Sub finem saeculi XIII vi-

---

Herculiosque audiant praedicari Iuppiter pater et Minerva socia et Iuno placata."

[246]) Bulliot ap. Castan l. l. p. 68 adn. Idem dissertatione, quam inscriptam „Observations historiques et archéol. sur les fouilles d'Augustodunum" inseruit commentationibus academ. Sorbonn. a. 1877 p. 131—150, de magnificentia operum antiquorum haec facit verba: „Aucune ruine ... n'annonçait une grande richesse ... C'est là, aux alentours du Capitole et du forum, qu'ont été découverts les objets d'art, les belles mosaïques, les grandes sculptures. A mesure qu'on s'éloignait de ce centre luxueux, en reculant vers les remparts, la somptuosité des constructions diminuait; les mosaïques, les marbres, devenaient plus rares ou plus grossiers, le chapiteau corinthien disparissait".

[247]) Dunod, Histoire des Séquanois et du comté de Bourgogne 1735, preuves p. XXX.

[248]) Mense Nov. a. 1218 inter ecclesiam S. Ioannis et Guidonem de

cus factus est, qui usque ad saeculum XVIII rue du Chateur vocabatur. Cuius vici aedificia identidem in instrumentis publicis dicuntur mansi de Capitolio[249]). Haec argumenta cum habeamus, relationem S. Maximini episcopi omittere possumus; atque hoc etiam magis, quod haec vita sub finem saeculi XV conscripta quasi dubia ab ipsis editoribus Actorum SS. reiecta est[250]). Cum a. 1840. 1850. 1863 eo quem illa instrumenta indicant loco effossiones fierent, templi Capitolini reliquiae maximam partem inventae et detectae sunt[251]).

Vesontio, Sequanorum oppidum maximum, si non prius, at certe altero p. Chr. saeculo colonia facta est[252]).

Iam super est ut Capitoliorum Galliae exempla testimoniorum fide destituta afferamus. Ac Durocortori quidem, quod caput erat Remorum atque imperatorum aetate praeter cetera illius regionis oppida artibus et litteris florebat, Capitolium fuisse actis

---

Liela initus est tractatus, „ut dictus Guido omne ius quod habebat in campo qui est a dicta S. Mauritii ecclesia inferius usque ad Capitolium . . . capitulo cederet“ cf. Castan p. 57.

[249]) Ecclesiae S. Pauli instrumenta documento sunt: a. 1134 Ansericus archiepiscopus Bisuntinus ecclesiae S. Pauli praeter alios reditus concedit „solidos duos in manso Lamberti de Capitolio“ cf. Castan, Origines de la commune de Besançon n. VIII. Ille Lambertus de Capitolio in instrumento anni 1250 dicitur Lambertus de Chatoyl. Inde ab anno 1200 Latinum nomen Capitolii cessit Francogallico factumque est: Chatoyl Chatol Chatoul Chatour Chateur. Ecce documenta: „Simon Dambarbe de Chatol vendit (a. 1247 mens. Ian.) ecclesie S. Pauli tertiam partem furni de Chatol, siti in territorio dicte ecclesie“; mens. Iun. a. 1250 „Humbertus et Ioannes de S. Mauricio dant priori S. Pauli medietatem furni siti in Chatoyl, in introitu vici S. Pauli, in territorio dicte ecclesie“; mense Maio a. 1260 „Ioannes, abbas S. Pauli, cedit Gerardo presbytero, curato de Buro, furnum de Chathoil et domum dicti furni“. Ioannes de Chatoul a. 1305 testis est pactionis, Phelipons de Chatour a. 1291 in numero urbis Vesontionis stipendiariorum refertur cf. Castan p. 59.

[250]) „Videns (sc. Maximinus) basilicam non posse capere Christianorum multitudinem tam ingentem, quandam domum in foro civitatis iuxta Capitolium consecravit in honorem S. Ioannis Baptistae, quod templum etiamnunc in radice montis Coelii, in platea Quintinia constitutum est“; cf. Ioan. Chiffletii Vesontio (Lugduni 1628) cap. 16; Dunod. l. c. p. 172 et Histoire de l'église de Bes. p. 34.

[251]) Templum accurate Castan descripsit l. c. p. 59—61; cf. formas VIII et IX.

[252]) Momms., Inscript. Helvet. n. 42. cf. Castan, Revue arch. vol. 33 (a. 1877) p. 373 sqq.

s. Macrae, quibus templi mentio fit[253]), confisi viri docti Galliae vulgo credunt. At primum actis sanctorum, nisi accedat argumentorum pondus, fidem habere non possumus[254]). Deinde passio s. Macrae, ante Carolingorum tempora non conscripta, tam sincera et incorrupta non videtur esse, ut nimium fidei ei tribuamus; certe qui ea ediderunt, quod sinceritatem augeat vel confirmet, nihil conferre potuerunt.

Neque vero defuerunt, qui inde, quod Ademarus Cabanensis Sanctonae urbis Capitolii meminit, ibi Iovis Capitolini templum fuisse statuerent[255]). Sed ab illo falso vocabulum usurpatum esse cum supra (p. 10 adn. 13) adnotaverim, non habeo quod hoc loco plura verba faciam.

7. Germania.

Augusta Trevirorum.

Postquam Augustus militibus deductis indigenisque adscriptis Treviros iure colonico ornaverat[256]), temporibus imperatorum oppidum ita est auctum, ut brevi inter nobilissima et potentissima

[253]) A. SS. Ian. tom. I (a. d. VIII id. Ian.) p. 325 edit. primae: „Rictiovarus (de quo vd. infra s. v. Treviri) a Diocletiano et Maximiano in Galliam mittitur, ut religionem Christianorum penitus aboleret ... Virginem nomine Macram invenit ... quam sic affatus est: ... volo ergo te scire, a sacratissimis imperatoribus legem esse prolatam, ... ut omnis qui Iovis imaginem venerari, imo adorare renuerit, insuperabilibus tormentis addicatur ... sacrifica diis magnis ... prospice ad Capitolium et sacrifica diis. Macra respondit: Christus, cui me tota devotione commisi, Capitolium est meum, in quem semper respicio ... Tunc praeses a circumstantibus iudicium exposcit ..., quorum haec fuit sententia, ut quando renueret magnis diis immolare, ad Capitolium, quo libare negligebat, viva combureretur".

[254]) Marlot, Histoire de Reims I 505 praeter S. Macrae memoriam nihil dicit de Capitolio; attamen iterum iterumque testis adhibetur! M. Tailliar, Le centre et le nord de la Gaule au siècle d'Auguste et sous les Antonins in commentat. Sorbonn. 1869 Histoire philol. etc. p. 40 haec mirifica verba facit: „Un capitole qui y est érigé sert à la fois de sanctuaire religieux et de palais pour les magistrats!".

[255]) In instrumentis publicis, quae pertineant ad Pipinum, Capitolii vocem saepius occurrere quo iure Petr. Pithoeus Advers. II c. 18 contenderit, ego diiudicare non possum.

[256]) Colonia vocatur Tacito hist. IV 62. 72 al.; col. Aug. Trevirorum ap. Or. 2773. 839; col. Aug. Patr. Trevir. in nummis sub Vespasiano cusis. Secundum igitur eam, quam Mommsenus praecepit regulam (praefat. inscript. Aug. Vind.), colonia ad Caesarem Augustum, non ad quemvis eius nominis imperatorem, ut voluit Zumptius l. c. I 385, referenda est.

quae cis Alpes erant oppida primarium quemdam locum obtineret. Quod maxime valet inde ab anno 292, quo Constantius Chlorus ibi imperii sedem constituit, cui qui successerunt imperatores (e. g. Maximianus Herculeus Constantinus Constans Valentinianus alii) idem fecerunt, donec oppido identidem a Germanis devastato initio saeculi quinti inde cedere et praefecturam transferre Arelatem cogebantur. Eo autem tempore urbs in Francorum dicionem pervenit.

His igitur praemissis tanti nominis in oppido Capitolium fuisse, ad alias urbes si respicimus, non modo non veri simile sed certissimum videtur esse[257]), licet argumenta, cum pendeant a vulgari fama, non multum prae se ferant fidei atque iudicii.

Ac prima quidem Capitolii mentio occurrit in vita ss. Eucharii Valerii Materni[258]), cuius auctor quis fuerit non patet: alii Eberhardo[259]) alii Goldschero[260]), monacho s. Mathiae coenobii, ubi tum insignis quaedam erat officina fabularum ecclesiasticarum[261]), tribuunt. Sed quisquis fuit, hoc constat, ante saeculum X vitam non conscriptam esse[262]). Nec vero recentioris est aetatis, cum eam amplexi sint Remigius Mediolacensis (saec. X ex.) et Herigerus, abbas Lobiensis, qui a. 1007 obiit; adde quod auctor vitae s. Agritii saeculo XI scriptae[263]) ad Eucharium respiciens verba de Capitolio facta ad verbum fere exscripsit. At contra eam saeculo X antiquiorem non esse, inde intelligitur, quod praeter unam s. Maximini vitam Trevir. libri saeculo X antiquiores exstant nulli[264]). Quid igitur de fide eius statuemus?

---

[257]) Imperatores e. g. Valentinianum et Gratianum a. p. Chr. 368 (Auson. Mos. 420 sq.) ibi triumphos egisse quomodo aliter cogitari possit nisi quod ibi templum Capitolinum fuerit, ego quidem nescio.

[258]) A. SS. Ian. (a. d. IV Kal. Febr.) tom. III p. 534 sqq: „Tandem perfecto itinere Treviros pervenerunt, ubi tantus gentilitatis error inerat, ut exceptis singulorum penatibus in uno loco civitatis centum statuta idola a populo generaliter colerentur et per ea miseri responsis daemonum ac praestigiis deluderentur. ... Cumque s. Eucharius per singulos dies populum admoneret, ut idola vana colere cessarent, quodam die . . . pontifices Capitolii invidia succensi maximam partem populi contra eos concitaverunt".

[259]) Hontheim, Hist. Trevir. dipl. I p. XVII, III p. 965.

[260]) Bolland. l. c. praef. § 3.

[261]) Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen II 97.

[262]) Waitz, Praef. gest. Trevir. ap. Pertzium, Mon. Germ. script. VIII p. 113.

[263]) A. SS. Ian. tom. II p. 55.

[264]) Waitz. l. c. p. 111.

Praeter ipsa martyrum nomina ex paucis monumentis iisque saepe dubiis cum nihil fere ad vitarum scriptores perveniret, maxime id agebant, ut ad famam vulgarem, quo magis narrationes ornarent, confugerent. Qua de causa quae narrant partim nuda figmenta partim ex fama incerta hausta sunt[265]). Fortasse igitur ea quae acta de Capitolio Trevirensi exhibent ex fama populi etiam tunc vigenti scriptor exhausit.

Nunc transimus ad Gesta Trevirorum, quae qui composuerit dici non potest. Qui primus arte critica adhibita ea recensuit Waitzius[266]), qua editione ea quam fecerunt Wyttenbachius et Muellerus Gestorum recensio antiquata est, non ante saeculum XII Gesta composita esse certa ratione probavit. Quorum scriptor, quisquis fuit, in Trevirorum rebus inde ab initio usque ad annum 1101 describendis versatus est ita, ut narrationes si non leviter inveniret at ex fama populi, ex inscriptionibus vel tum repertis vel fictis, ex sanctorum historiis depromeret. Et maxime quidem, ut urbem quam celeberrimam redderet, quaecunque tum de monumentis antiquis (e. g. de portis aquaeductibus amphitheatro Capitolio) populi in ore tradita ferebantur, cupide arripuit. Neque igitur solum ex Caesare Iustino Eutropio aut ex rei ecclesiasticae scriptoribus (e. g. ex Rufino Sulpicio Severo Gregorio Turonensi) permulta exscripsit sed etiam martyrum Trevirensium historias saepenumero verbo tenus operi suo innexuit. Quare non mirum, quod vitae Eucharii scriptoris verba, quae de Capitolio fecit, in gestis Trevirorum reperimus[267]). Gravioris autem momenti est illa caedis Rictiovari narratio, quam Gesta continent.

---

[265]) Centum statuta idola si in Capitolio fuisse dicuntur, eam famam apud populum viguisse veri simile videtur. Nam cum factum esset ut Iuppiter Capitolinus omnes fere religionis Romanae deos deinceps hospitio reciperet atque aedicularum circum templum Capitolinum Rom. numerus ita augeretur, ut omnes dei uno loco congregati viderentur, huius rei memoria religione antiqua iam pridem sublata, cum provinciarum Capitolia Romanum ad unguem exprimerent, in ore hominum remansisse videtur. Velut vitae s. Apollinaris scriptor Ravennatis Capitolii pontificum ait invidiam et studium tantam fuisse, ut ibi plus trecentae essent arae (vd. p. 33). Similiter Antiochiae in Capitolio plus quinquaginta simulacra culta esse acta s. Iuliani affirmant (vd. p. 58).

[266]) Mon. Germ. script. VIII p. 111—174.

[267]) l. c. p. 132, 5: „Fecerunt ibidem et Capitolium maximum, templum quoque idolorum, in quo non minus quam centum statuta idola generaliter ab omni populo colebantur et per ea miseri responsis daemonum ac variis praestigiis deludebantur“.

Narrant enim anno p. Chr. 291 propter frequentes Gallorum tumultus legionis Thebanae quattuor cohortes ab oriente accersitas, quod in campo Martis Iovi sacrificare et fide Christiana desciscere nollent, a Rictiovaro, Trevirorum praefecto, iuxta Capitolium magna caede facta esse occisas. Idem Capitolium in ecclesiam s. Mariae postea conversum martyriique locum litus ad martires esse nuncupatum[268]). Videamus igitur primum, quid statuendum sit de historia fabulosissima, deinde illo loco Capitolium fuisse rectene se habeat. Postero die, pergunt gesta, a Rictiovaro Palmatium, consulem et patricium civitatis, una cum undecim senatoribus eadem de causa trucidatum esse nec prius illum acquievisse, dum tertio die etiam maxima plebis pars occideretur. Paucos de caede superstites corpora sepelivisse et puteum quendam ingentis capacitatis eorum ossibus replevisse. Praeter Thyrsum Bonifacium Cassium Florentinum Gereonem Victorem, cohortium Thebanarum praefectos, sanctorum qui altero die trucidati traduntur nomina afferuntur haec: Palmatius Constantius Maxentius Crescentius Iustinus Leander Alexander Sother Hormisda Papirius Constans Iovianus. Ac primum quidem tenendum est, cum eius aetatis a scriptoribus tantae caedis nulla fiat mentio at contra Lactantius (de mort. persec. c. 15) Christianorum persecutionem non pertinuisse tradat ad Galliam, illo tempore tale facinus accidere non potuisse. Quod si compertum habuissent rei ecclesiasticae scriptores, cum id unum agerent, ut sanctos, quotcunque possent, martyres ubique in lucem atque oculos hominum prodire cogerent, minime futurum fuisse putamus ut silerent. Sed quod maximum est, eo ipso tempore, cum tota civitas ex more antiquo Iovi sacrificando non desisteret[269]), tantum iam fuisse Christianorum numerum non ita veri simile videtur esse. Unde efficitur, ut narrationem fide historica non comprobari censeamus. Accedit, quod nomina sanctorum, quae supra nominavi, usque ad id tempus ignota in fastos inde a saeculo XII conscriptos irrepserunt[270]). Cum enim a. 1072

[268]) ib. p. 150: „Ex his innumeris tanta multitudo ad litus Mosellae iuxta Capitolium martirizata est, ut sanguis rivuli defluentes in Mosellam aquae permixti eam in suum colorem converterent, ut naturali claritate remota peregrino magis quam proprio colore ruberent . . . Hoc idem Capitolium postea in honorem dei genetricis semperque virginis Mariae est dedicatum et ipse locus ob memoriam martirum litus ad martires nomen accepit“.

[269]) Mamert. panegyr. Maxim. Aug. p. 94, 26 al. (ed. Baehrens.).

[270]) Linde, Der Frankenherzog Rictiovarus und die Trevirer Maertyrer (Trier 1852) p. 13—15.

s. Paulini monachi ecclesiae cryptam aperirent, inventa est tabula quae illorum martyrum a Rictiovaro caesorum nomina continebat[271]). Quid mirum igitur, quod sanctorum nomina ex tabula tum reperta et sine dubio ficta et supposita exscripta sunt! Eodem fere tempore fortuna etiam arrisisit ecclesiae s. Mariae in ripa monachis. Qui cum aliarum ecclesiarum monachis, qui in sanctorum corporibus reperiendis tanta usi erant fortuna, cedere nollent et ipsi diligenter vestigia quaererent, contigit, ut innumerabilium martyrum ossa invenirent, quo factum est, ut nomen ecclesiae converteretur in s. Maria ad martyres. Duodecimi igitur saeculi fuerunt monachi, qui eam fabulam pervulgandam curarent. At quaeritur, utrum leviter eam invenerint an ei insit aliquod granum fidei historicae. Constat oppidum ter a Germanis vastatum et direptum postremum a. p. Chr. 411 a Francis ita deletum esse, ut incolarum maxima pars et obsidione diuturna absumeretur et foeda caede a victoribus trucidaretur. Quanta incolarum miseria tum fuerit, nemo melius descripsit quam Salvianus (d. gubern. Dei lib. VI in.). Ea autem, qua Rictiovarus usus esse traditur, saevitia non quadrat ad Romanos sed ad Francos, quos simile quid crudelitatis commisisse Procopius (d. bello Goth. II 25) et alii eius aetatis scriptores tradiderunt. Quod cum ita sit, recte fortasse Linde (l. c. p. 26 sq.) Rictiovarum non Romanorum sed Francorum ducem fuisse suspicatus est. Cuius caedis vastationisque memoria cum diu vigeret, facillime accidere potuit, ut variae fabulae cum illa coniungerentur. Quam famam, quae vulgi facta erat, non ecclesiae, subinde monachi, qui ubique quaesituri martyres reperiebant, in suum usum vindicarunt. Nec multum igitur ad rem probandam valere possunt.

Secundum nostrum consilium nunc restat, ut de loco Capitolii quaestionem moveamus. Quod postea in ecclesiam s. Mariae versum et locum ipsum ob memoriam martyrum Litus ad martyres appellatum esse[272]) Gesta affirmant. At contra ecclesia s.

[271]) Waitz. l. c. p. 220; Gest. Trevir. p. 166/167.

[272]) Ecclesiae nomen s. Mariae ad martyres non ante medium saeculum XII datum esse, testantur ecclesiae tabularii instrumenta (ap. Linde, Ältere Geschichte der Abtei Sancta Maria auf dem Moselufer l. c. p. 35—42), quibus vocatur a. 973 ecclesia gloriose dei genetricis et virginis Marie in ripa; a. 1000 ecclesia gloriosissime dei genetricis Marie super litus Moselle; a. 1030 cenobium gloriosissime virginis dei genitricis Marie; a. 1140 sancta Maria super litus, monasterium sacratissime virginis Marie super litus; a. 1146,

Mariae ante portam Nigram, id est extra veteris oppidi muros sita est, cum tamen Capitolium nisi intra oppidum cogitari nequeat. Quod cum antiquarii recte intelligerent, alius alio loco Capitolii vestigia quaerenda esse arbitratus est. Verum tamen cum fundamentis ecclesiae detectis „praeclara operis Romani vestigia" in ruderibus eius viserentur, ad antiquum aliquod aedificium reliquias spectare omnes fere putaverunt. Illud Pantheon fuisse, non Capitolium, censebant Wyttenbach et Muellerus (Gest. Trev, cap. XXVIII adn.), ecclesiae loco villam fuisse, non magni nominis aedificium, ex effossionibus ibi institutis effecit Linde (l. c. p. 38-42).

Deinde fuerunt, qui portam Nigram, quam Poppo archiepiscopus Trevir. anno 1035 s. Simeonis in ecclesiam convertit, Capitolium praestare docerent[273]. Quae quali usui fuerit postquam diu antiquarii inter se disceptarunt[274], nunc quidem urbis porta eaque triumphalis vulgo putatur.

Fortasse quis dixerit, quod Gestis Trevirorum ecclesia s. Salvatoris in Capitolio commemoretur, ea re ad templi locum indagandum ansam dari. At illa verba non in omnibus sed nonnullis libris mss. iisque deterioribus cum legantur, Waitzius in contextum non recepit[275].

Denique fuisse moneo, qui eas, quae vulgo thermae vel theatrum vel palatium habentur, ruinas ad Capitolium non male quadrare putarent[276]. Sed hanc rem missam faciamus. Capitolium certo quidem Treviris fuisse, sed quo urbis loco fuerit usque ad hunc diem dici non posse demonstrasse satis habebo.

1187, 1219 monasterium sancte Marie ad martires; a. 1208 ecclesia beate virginis Marie dei genitricis ad martires. Atque nostris iam temporibus ecclesia utitur ea significatione, quam non prius, quam monachi saeculo XI exeunte illas martyrum repertorum fabulas aut in usum ecclesiae vindicarent aut invenirent, ortam esse luce clarius videtur.

[273]) Brower, Antiquitat. Trevir. I 146; de Haupt, Triers Vergangenheit und Gegenwart, part. I p. 118.

[274]) Maximi ponderis sententias collegit Linde, Die porta Nigra u. d. Kapitolium der Treviris a. 1852 p. 11—14. Porta Nigra, id est Nicra, a flumine Nicro nuncupata; deinde nomen videtur mutatum, quo melius portae albae opponeretur, cf. Linde l. c. p. 25.

[275]) Exstant in Wyttenbachi et Muelleri edit. cap. 38, desunt etiam ap. d'Aschery, Spicilegium sive collectio veterum aliquot scriptorum qui in Galliae bibliothecis delituerant, vol. II a. 1723.

[276]) Hoc pluribus verbis docere studuit Linde, Der Frankenherzog Rictiovarus, p. 52 sqq.

Colonia Agrippinensis.

Agrippina minor, Germanici filia, Claudii uxor, quod Ubiorum in oppido nata erat, anno p. Chr. 50 ut oppidum patrium iure colonico donaretur impetravit[277]). Ac tanti quidem nominis oppidum quin Capitolium habuerit, quid est quod dubitemus? Ex tribus, qui urbem paululum superant, collibus unus in parte Rheni ripae mediterranea fert ecclesiam s. Mariae, quae dicebatur et nunc dicitur in Capitolio[278]). Haec igitur ecclesia fueritne in loco Capitolii aedificata, quaestio sit nostra. Atque communis quidem fama et sermo tradit, Plectrudem, Pipini Heristali uxorem, cum ille Chalpaidae paelicis amore incitatus eam fastidiret, Coloniam recessisse ibique Capitolium, habitationem et palatium ducum Austrasiae, in monasterium virginum s. Mariae commutasse. Eandem, cum moreretur ut abatissa monasterii, in media ecclesia esse sepultam[279]). Cui relationi quantum fidei habendum sit antequam exponam, ad ecclesiae historiam quae pertinent paucis verbis commemorare operae pretium videtur esse. Ac primum notatu dignum est quod ecclesia in antiquissimis instrumentis non dicitur Maria in Capitolio, sed Maria alta sive in altis, sancta Maria, s. Maria in Malzbuchel, s. Maria super Malzbuchel[280]). Antiquissimum quod reperi documentum pertinet ad testamentum Brunonis archiepiscopi anno 956 conscriptum[281]). Primus autem, quod sciam, Caesarius

---

[277]) Tacit. ann. XII 27, Germ. cap. 28; Plin. h. n. IV 31, 106.

[278]) De rebus topograph. vd. Ennen, Geschichte der Stadt Köln I p. 88 sq.

[279]) Aegid. Gelen, De admiranda sacra et civili magnitudine Coloniae (a. 1645) lib. III syntagm. IX (p. 323 sq.); Valesius, Notitia Gall. (a. 1675) p. 149; Mabillon, Annales ordin. s. Bened. I p. 587; Lecomte, Annales eccles. Franc. IV p. 213 sq.; Gallia christ. III col. 770; Stangefolius, Annalium circuli Westphalici (a. 1656) lib. II p. 39; Winheim, Sacrarium Apripp. (a. 1607) p. 113; Ennen l. c. I p. 89. 110. 146.

[280]) S. Maria in Malzbuchel vocatur instrumentis inde ab anno 1179 usque ad saeculum XVI, cf. Iost, Annal. societ. antiquar. Rhen. a. 1878 p. 171. Vicus, qui est haud procul ab ecclesia, nunc quoque dicitur „am Malzbüchel". Cum autem Duentzerus in instrumento anni 1231 (ibid. a. 1866 p. 88) legi affirmat „de Alzbuchele", eam falsam esse lectionem satis constat.

[281]) Pertz, Mon. Germ. VI 274, 45: „ad Sanctae Mariae altare vasa duo ex melioribus; monasterio et claustro perficiendo librae centum, cortina, scamnalia duo, mappae totidem". Ecclesiam Mariam altam appellatam esse verbo monet Winheim, Sacrar. Agripp. p. 113: „hinc in antiquissimis monumentis collegiatam hanc ecclesiam olim Mariam altam vocatam certum est". Idem affirmat Gelenius l. c. p. 330: „unde et b. M. virginis alta ecclesia appellatur". Neque vero quidquam aliud hoc cognomen significat nisi

Heisterbacensis, qui vixit inde ab anno 1199 usque ad annum 1240, significatione s. Mariae in Capitolio utitur[282]). Deinde saepius eam reperimus in instrumentis ad ecclesiam pertinentibus[283]). Saeculo XI cum ecclesia casu quodam diruta esset, eam restauratam a. 1049 Leo IX, cum mense Martio et Iulio Coloniae versaretur, die visitationis s. Mariae dedicavit[284]). Neque vero tum primum illam aedificatam esse eo apparet, quod eius in testamento Brunonis anni 965 mentio fit. Quam ob rem aedificatio ad antiquiorem aetatem licet non ad eam, quam voluit Boisserée, revocanda est[285]). Eam enim, quae nunc est, ecclesiam eandem esse quam Plectrudis sub annum 700 aedificasse tradatur ille sibi persuasit[286]). Quid autem de ecclesiae cognomine statuemus?

„Maria in colle". Addo instrumenta haec: a. 1139 „beneficium Karoli pertinens ad sanctam Mariam que est in Colonia, Lacomblet, Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins I n. 337; a. 1229 „rectro curiam abatisse de sancta Maria", Ennen et Eckertz, Quellen zur Geschichte der Stadt Köln II n. 113; Eodem saeculo: „in vigilia assumptionis b. Marie, in anniversario episcopi Reinoldi, convivales denarii a camerario sic dividuntur . . . ad s. Mariam altam VI solidi . . .", Statut. capit. Colon. ap. Lacomblet, Archiv für die Geschichte des Niederrheins II p. 24, 5.

282) Dialog. miracul. ed. Strange II p. 59: „Coloniae scholaris est paene quattuordecim annorum, cuiusdam civis filius et ecclesiae sanctae Mariae in Capitolio canonicus".

283) E. g. a. 1223 „Gerberna abbatissa, Clementia decana totusque conventus S. Mariae in Capitolio Colon." Wallraf, Beiträge zur Geschichte der Stadt Köln und ihrer Umgebungen I (a. 1818) p. 21; a. 1233 „et sciendum, quod de dimidietate domus, que vocatur ad bovem, VIII solidi colonienses ecclesie sancte Marie in capitolio annuatim iure censuali solventur", Ennen et Eckertz, Quellen zur Geschichte der Stadt Köln II p. 142 n. 138; a. 1255 „iuxta domum ecclesie sancte Marie in capitolio colon." ib. II p. 363 n. 361; a. 1257 „noverint universi, . . . quod homines isti . . . ecclesie sancte Marie in Capitolio Colon. sunt cerocensuales ex antiquo iure", ib. II p. 374 n. 377; a. 1293 „scilicet de bonis curtis de Are, que partim spectant . . . ad abbatissam b. Marie in capitolio", Lacomblet, Urkundenbuch I p. 226 n. 337.

284) F. de Quast, Beiträge zur chronol. Bestimmung der älteren Gebäude Kölns, Annal. societ. antiqu. Rhen. vol. X (a. 1847) p. 201—211; vol. XIII p. 176—178; vol. L (a. 1871) p. 134 sqq.

285) De Quast. l. c. vol. L p. 134: „Der Mangel bestimmter Stiftungsurkunden in einem so alten und schon so früh bedeutendem Orte deutet doch immer auf eine frühere Zeit hin" id. vol. X p. 209: „Das glauben wir ebenso sicher annehmen zu können, dafs die jetzige Kapitolskirche nicht das erste Muster dieses eigentümlichen Grundplanes liefert, dafs dieser selbst in ein weit höheres Alter hinaufreicht als das der Stiftung der Kirche durch Plectrudis".

286) Die älteren Bauwerke am Niederrhein (a. 1844) p. 4.

Illud ante saeculum XII iam fuisse quod demonstrare non possumus, inde efficiemus tum primum inventum esse, quo antiquior et ornatior ecclesia videretur? Duentzerus quidem cum nomina Romana nisi in oppidorum vocabulis reservata non esse demonstrasse sibi videatur[287], eam quoque appellationem quasi tum a monachis inventam reicit[288]. Quem si audies, Caesarium fortasse eam ementitum esse facere non poteris quin putes. Neque tamen nos erraturos esse speramus, si Capitolii nominis memoriam ab initio illi ecclesiae inhaesisse solamque causam, quod ante illud tempus ecclesiam id nomen tulisse non eluceat, ex inopia instrumentorum ad priora tempora pertinentium ortam esse contendemus. Certe saeculo XI Capitolii nomen monachis notum fuisse, inde patet, quod Gelenius[289] dicit, Marianum Scotum[290] libro secundo itineris sive periegeseos s. Petri narrare, s. Maternum iuxta Capitolium deiecisse Martis et aliorum idolorum delubra, invexisse vero in ea Christi cultum atque unum Capitolio vicinius nomine s. Petri decorasse. Sed redeamus unde digressi sumus. Plectrudis igitur a coniuge neglecta Coloniam devertisse ibique Capitolium sive palatium ducum Austrasiae ad ecclesiam s. Mariae destinasse fertur. Tota enarratio licet vera non habenda sit, tamen veri granum ei inesse iudicamus. Neque igitur Duentzero adstipulari possumus, qui eam nihili esse ut demonstraret maxime operam dedit[291]. Primum autem quae historiae fide comprobata sint, videamus. Plectrudis, quae Pipino intra annos 670 et 675 nupserat, cum coniuge ita coniuncta erat et, quamquam ille aliquamdiu Chalpaidam paelicem praetulerat atque cum ea Carolum Martellum genuerat, tantum apud eum valebat, ut moriens ille anno 714 uxori totius regni imperium traderet, quod tenuit, dum a Carolo privigno superata e regno pelleretur[292]. Quo loco quam fortunam postea passa sit, non constat; tantum constat, ante annum 717 eam non mortuam esse[293]. Cum autem a coniuge nunquam dissideret ita, ut eum vivum desereret et in monasterium se reciperet, illud relationis recte se habere non potest, sed vel

[287]) Annal. societ. antiqu. Rhen. vol. XXVII 19 sq.

[288]) ibid. vol. XXVI p. 50 sq.; vol. XXXIX. XL p. 88—115.

[289]) l. c. p. 446, syntagm. CXLV.

[290]) Vixit inde ab a. 1028 ad a. 1082 vel 1083, cf. Wattenbach II p. 92.

[291]) l. c. XXXIX. XL p. 88—115.

[292]) Breysig, Jahrbücher des fränkischen Reiches 714—741 Lips. a. 1869 p. 5—28.

[293]) Görz, M. Rhein. Regesten, I p. 57.

una cum eo vivo vel eo mortuo, cum a Carolo imperio privata esset, monasterium exstruxit. Duae igitur res, discidium coniugis, quod Chalpaidam anteposuit, et inimicitiae privigni, posteriore aetate fama vulgari ita conglutinatae videntur esse, ut ea propter paelicem a Pipino dimissa de publico recessisse et Capitolium seu palatium in monasterium vertisse diceretur. Iniuria autem Duentzerus eo nititur, quod Plectrudis ex palatio ducum Austrasiae monasterium fecisse fertur. Mihi quidem illa verba addita videntur esse, quo accuratius quid Capitolium significaret vel quali usui fuisset, determinaretur. Nam si viri docti nostrae aetatis Capitolia pro palatiis fuisse credunt, quid mirum, quod medii aevi scriptores idem crediderunt? Idem cum censeat omnibus locis templa antiqua basilicis s. Petri cessisse, Capitolium in loco domus, quae dicitur s. Petri, fuisse suspicatus est. At effossionibus, quas instituit Voigtel architectus[294]), illum collem undeviginti pedes altum non natura sed arte factum esse dilucide apparuit. Quae cum ita sint, quaestionis movendae lucem solae ferre possunt effossiones, quae ut quam primum fiant non nemo mecum optabit.

Augustae Vindelicum monumenta qui descripserunt[295]), passione s. Afrae confisi ibi quoque templum Iovis Capitolini fuisse arbitrantur. Sed quamquam Ruinartus M. Velserum secutus illam omnis suspicionis expertem esse affirmat, tamen ea, quae solis ex actis sanctorum pendent, testimonia sincera iudicare non possumus[296]).

III. De origine triadis Capitolinae.

Quoniam Capitolia in orbe Romano quae fuerint quantum eius fieri potuit exposuimus, consentaneum videtur esse, ut quaestio addatur de origine triadis Capitolinae, quam ad rationem Capitoliorum totam explicandam nobis suscipiendam esse putamus. Sed antequam eam ingrediamur, iuvat fortasse uno quasi obtutu ad ea respicere quae supra exponenda nobis proposuimus. Ac

---

294) Ann. societ. antiqu. Rhen. vol. LIII. LIV p. 199 sqq.

295) e. g. Marcus Velserus, Rerum August. Vindel. libri VIII (a. 1682) (opp. omn. p. 177 sqq.); Engelb. Werlichius, Chronica (a. 1595) p. 33.

296) Ruinart, Acta sincera et sel. p. 400 (= A. SS. non. Aug. (A. mens. Aug. II p. 55 sq.)): „Accedens ad Capitolium sacrifica. Afra respondit: Capitolium meum Christus est, quem habeo ante oculos meos“.

primum quidem non solum id egimus ut Capitoliorum, quae exstarent extra Romam, vestigia indagaremus sed etiam ex oppidorum maximeque Italiae condicionibus fortasse aliquid ad originem triadis Capitolinae illustrandam effici posse rati unius cuiusque oppidi condicionem, quae fuerit, in examen vocavimus. Unde exempla ad unum omnia a Romanis propagata non solum in coloniis sed etiam in singulis municipiis nobis occurrere apparuit[297]). Italiae oppidorum municipia fuerunt Histonium Marruvium Marsorum Ravenna. Extra Italiam in municipiis (vel in pago cf. p. 52) Capitolia fuisse saepius observavimus. Coloniarum autem numerum maiorem esse quam municipiorum, sola causa videtur esse, quod illae urbem Romam, cuius quasi effigies parvae simulacraque esse quaedam videntur, imitando magis expresserunt quam municipia[298]). Omnes igitur colonias, cum deducerentur, praeter ceteros deos etiam cultum deorum Capitolinorum secum duxisse putaverim. At dolendum est, quod de coloniis, qua necessitudine cum metropoli coniunctae fuerint et quibus modis eius imaginem expresserint, adeo nihil compertum habemus, ut animo eas effingere haud possimus. Hoc tamen pro certo habendum, si non statim ab initio at certe bello sociali confecto cultum Capitolinum in provincias demigrasse[299]). Tota enim Italia civitate donata cum Roma non iam omnium oppidorum domina atque metropolis sed inter pares urbes prima fieri inciperet, cum urbe Roma oppida Italiae certamen inisse videntur ita, ut

---

[297]) Errat igitur Castan, cum censet Capitolia nisi in coloniis obvia non fieri.

[298]) Gell. N. Att. XVI 13, 8: „sed (coloniae) ex civitate quasi propagatae sunt et iura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent. Quae tamen condicio cum sit magis obnoxia et minus libera potior tamen et praestabilior existimatur propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius istae coloniae quasi effigies parvae simulacraque esse quaedam videntur“; cf. Cic. d. leg. agr. II 27, 73: „est operae pretium diligentiam maiorum recordari, qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiae sed propugnacula imperii viderentur“; pro Font. I 3: „colonia (sc. Narbo) nostrorum civium, specula populi Romani ac propugnaculum, illis ipsis nationibus oppositum et obiectum“.

[299]) Caesaris certe temporibus lege sanctum videtur esse, ut coloniae iure templi Capitolini possidendi uterentur; cf. l. col. gen. Urs. cap. LXX: „duomviri . . . munus ludosve scaenicos Iovi Iunoni Minervae deis deabusque quatriduom maiore parte diei . . . faciunto“; ib. cap. LXXI: „aediles . . . . munus ludos scaenicos Iovi Iunoni Minervae triduom . . . et unum diem in circo aut in foro Veneri faciunto“.

eam non solum moribus institutisque sed etiam monumentis totam exprimere studerent[300]). Quam ob rem summo iis erat honori, si altera vel secunda Roma appellabantur, quippe quae melius non possent laudari. Nec casu igitur factum esse puto, ut ex ipsis provinciarum oppidis primariis Capitoliorum testimonia tradita habeamus, cum intra suos fines pro altera quadam essent Roma.

Iam vero relinquitur, ut originem illius cultus paucis verbis illustremus; qui unde ortus sit mirum quantum viri docti inter se dissentiunt. Alii enim totius Italiae communem eumque antiquissimum esse existimant, alii cultum a Tuscis, alii a Sabinis originem duxisse et inde Romam advectum esse volunt. Ac primus quidem nominandus est H. Nissenius, qui, cum cultum aetatem Romanorum superare sibi persuadeat, sic fere de origine eius disserit[301]): „Das Symbol der in drei Tribus zerfallenden Bürgerschaft ist der capitolinische Jupiter. Eine urbs, d. h. ein souveräner Staat kann nicht ohne einen Tempel desselben bestehen; denn so ist offenbar die Nachricht des Servius zu Verg. Aen. I 422 zu interpretieren: prudentes Etruscae disciplinae aiunt apud conditores Etruscarum urbium non putatas iustas urbes, in quibus non tres portae essent dedicatae et votivae, et tot templa Iovis Iunonis Minerva. Ebenso Vitruv I 7: aedibus vero sacris, quorum deorum maxime in tutela civitas videtur esse, et Iovi et Iunoni et Minervae in excelsissimo loco, unde moenium maxima pars conspiciatur, areae distribuantur". Hactenus Nissenius. Quisnam fuit ille Vitruvius? Fuit architectus Romanus, qui iussu Augusti eam artem exercebat. Quomodo igitur quis eius ex verbis cultum Capitolinum antiquissimum esse efficere velit, ego quidem intelligere non possum. Primum enim ille non scripsit de architectura Italiae, deinde id praeceptum, quod non semper respectum esse supra demonstravimus, a Romano Capitolio deduxit. Quid multa? Illum de Capitoliis Italiae antiquis cogitasse, qua erat omnium rerum ad artem suam non pertinentium summa inscitia, nemo facile demonstraverit. Ad Servii verba quod attinet, illa a viris doctis saepius ad partes vocata quam intellecta videntur esse. Eorum enim auxilio alius aliud se demonstrare posse imaginatus est. Tres portas, quarum ille meminit, omitto, cum neque Ottfr. Muellerus

[300]) Friedlaender, Sittengesch. III[5] 169.
[301]) Templ. p. 145 (cf. p. 88); Stud. Pomp. p. 320 sqq.

(Etr. II² p. 150) neque ipse Nissenius, quid de iis faciendum sit, nos edocere possint.

Idem autem scriptor cum dicit, tot templa Iovis Iunonis Minervae in Tuscorum oppidis fuisse, idem esse censebimus tamquam in omnibus Capitolia fuisse dicat? Minime. Nihil enim aliud affirmat nisi tribus summis deis templa aedificata esse, unum Iovi, unum Iunoni, unum Minervae. Quid hoc commune habet cum Capitolio, quippe quod uno templo illos tres deos coniunctos continuerit? Quare hoc quoque Nissenii argumentum facere non possumus quin reiciamus. Restat unicum sententiae fulcimen templum Iovis Capitolini Pompeiani, quod ad Oscos revocandum esse quam non ille probaverit, supra satis exposuimus.

Nunc vertamur ad eos, qui cultum Etrusca origine esse contendant. Ottfr. Muellerus[302]) et qui eum secutus est Gerhardus[303]) ad rem confirmandam praeter Servii locum paene nihil proferre potuerunt. Tres illos deos apud Tuscos cultos esse concedo[304]), coniunctos uno templo usos esse nego. Quod ni ita esset, quomodo factum esse putabimus ut ne unum alterumve exstat Tuscorum monumentum quo illi tres coniuncti depingantur? Dixerit quispiam, eo quod Tarquinii, cum templum aedificarent, Tuscos artifices arcessiverint, templum eiusque deos more Tuscanico ornaverint, cultum etiam ab Etruria transvectum esse satis patefieri. Quod non minus est falsum quam si quis ex eo, quod Romani magistratuum insignia ab Etruscis acceperint, ipsos magistratus more Etruscorum Romae institutos esse colligere velit. Hoc igitur tenendum, ne unum quidem esse argumentum, quo cultum Etruscorum esse efficere cogamur.

Restat, ut ea quae Ambrosch[305]) et Schweglerus[306]) cultus de origine Sabina protulerunt percenseam. Ac maxime quidem nituntur verbis Varronis d. ling. lat. V 158: clivos proxumus a Flora susus versus Capitolium vetus, quod ibi sacellum Iovis Iunonis Minervae, et id antiquius quam

---

302) Etr. II² p. 43. 44. 47.

303) Die Gottheiten der Etrusker Berol. 1847 p. 5 adn. 25. 38.

304) Minervae nomen magis linguam Latinam quam Etruscam sapere videtur, cf. Deecke in Muelleri Etr. II² p. 47 adn. et Curtium Etym. Gr.⁴ p. 313; Gerhard. l. c. p. 9. Itaque Tuscos illam ab Umbris transtulisse non ita veri dissimile videtur.

305) Studien und Andeutungen im Gebiet des altrömischen Bodens und Kultus (a. 1839) p. 159—195; 196 sqq.

306) Hist. Rom. I² 275. 480. 696—699.

aedis quae in Capitolio facta[307]). Cum autem Sabini in colle Quirinali consedisse ferantur, ab iis quoque templum factum esse sibi persuadent. Sabinae originis alteram addunt causam, quod a Tarquiniis bello Sabino templum Capitolinum votum esse rerum scriptores tradunt[308]). Quam famam, cum recentioris aetatis sit (primus enim Cicero eius meminit), nobis pro testimonio esse non posse nemo non concedet. Sed quaeritur, quid de illa Capitolii veteris relatione statuendum sit. Primum enim pendet ex solis verbis Varronis, qui quibus fontibus qua ratione in antiquitatibus describendis usus sit, non satis apertum est[309]). Deinde Ambroschius ipse concedit, inde quod Varro veteres annales respexerit, minime effici posse ea quae tradat semper recte se habere[310]). Itaque prae tantis, quae statim afferam argumentis, Varronis verba mihi quidem non multum valent atque templum Capitolinum antiquissimum nobis praestare exemplum iudico, cum praesertim saepius factum sit, ut eidem deo praeter templum maximum sacella quaedam fierent[311]).

Sed tempus est, quid ipse de origine triadis Capitolinae sentiam depromere. Atque ut statim dicam, quid ego iudicem, cultum graeco more a Tarquinio sive a Tarquiniis compositum Romae institutum esse contendo. Cuius rei primam invenio causam, quod vocabulum Capitolii vere Latinum est neque usquam totius Italiae exstat vestigium, quo cultum ante Romanorum dominationem omnium aut singularum gentium fuisse communem colligere cogimur. Altera autem causa videtur esse, quod tria genera deo-

---

[307]) Ceteri qui afferuntur antiquorum scriptorum loci (e. g. Val. Max. IV 4, 11; Hieron. Chron. p. 311; Curiosum urbis quod dicitur Victoris („regio VI continet . . . Floram, Capitolium antiquum“)) huc non pertinent, cum partim spectent ad templum in Capitolio factum partim ex Varrone deprompti sint.

[308]) Cic. d. rep. II 20, 36; 24, 44. Liv. I 38. 55. Dionys. III. 69 p. 201, 18; IV 59 p. 257, 17. Plin. h. n. III 9 § 70. Tacit. hist. III 72 etc. etc.

[309]) Ambrosch. l. c. p. IX sq.

[310]) ib. p. 168: „Da nach seiner Ansicht die Sabiner nicht nur Quirinal und Kapitol sondern auch Aventin und Esquilin besetzt hatten, so mufste sich ihm, falls er so fortfuhr, eine nicht geringe Zahl von Göttern als sabinische erweisen“.

[311]) H. Jordan, Top. Rom. I 2 p. 41: „Es war auch Sitte, in der Nähe eines bedeutenden Heiligtumes dem himmlischen Eigentümer desselben kleinere Verehrungsstätten neu zu stiften“. Simili modo a Iove Latiali in monte Albano posteriore aetate Iuno Minervaque recepta est, cum tamen primo solus ille templum ibi habuerit, cf. Preller. Mythol. Rom. I[3] p. 215.

rum dignoscere ab Italorum religione est alienissimum. Dii enim, quamquam sexu sunt diversi et mares cum feminis coniugia ineunt, tamen semper sunt orbi neque unquam deorum liberi a parentibus secernuntur [312]). Minerva autem cum Iove et Iunone ita coniuncta est, eorum ut filia sit [313]). Hoc Graecorum, non Romanorum more factum esse quis infitiabitur? Accedit gravissimum argumentum, quod deorum triades Graecorum, non Romanorum sunt [314]). Ad nostram triadem quod attinet, nescio an casu factum sit, ut unum tantum exemplum in Graecia reperire possimus [315]). Apud Italos autem ne unum quidem exstat triadis

---

[312]) Recte igitur Prellerus, Mythol. Rom. I[3] p. 55: „Auch kamen diese Götter in den älteren römischen Gebeten zwar als paarweise und ehelich verbundene vor . . . doch sind diese Ehen in den meisten Fällen kinderlos und vollends fehlt es der italienischen Mythologie gänzlich an dem Sinn für ein solches Prinzip, wie in der griechischen der allgemeine Liebesgott Eros wirkt, durch welches die Götter unter sich und zu den Menschen in eine lebendige Wechselbeziehung des Geschlechts gesetzt werden und dadurch die Quelle der genealogischen Dichtung eröffnet wird. Vielmehr wurden die italischen Götter insgemein als Väter und Mütter gedacht“. Cf. Ambrosch l. c. p. 64; Marquardt, Enchir. III p. 6.

[313]) Ita etiam iudicat Augustinus, De civ. Dei IV 10: „simul enim cum his in Capitolio constituta est (Minerva), cum ista filia non sit amborum“.

[314]) Jordan. in Prelleri Myth. I[3] p. 65 adn. Trias Cereris Liberi Liberae ex Sicilia aut Magna Graecia Romam primis rei publicae liberae temporibus translata est, cf. Cic. pro Balbo cap. 24; Nitsch., Die römische Annalistik p. 206—216; Marquardt. Enchir. III 347. Cum ex auctoritate librorum Sibyllinorum a. u. c. 355 lectisternium fieret, primum obtinebant locum Apollo Latona Diana cf. Liv. V 13, 6; Marquardt l. c. III 345. Similiter Hades Demeter Persephone, quibus eadem de causa piacula offerebantur cf. Phlegon. mirab. 10; Klausen., Aen. I 267; Marquardt. III 351. Iovem Martem Quirinum, quibus Ambrosch. et Schweglerus nituntur, omitto, cum non triadem sed dyadem praestent. — Qui proxime de triade deorum disputavit, Bertrand. (L'autel de Saintes et les triades Gauloises, Revue archéol. a. 1880 vol. 39 p. 337 sqq. et vol. 40 p. 6 sqq.), quod eius originem ab Indis ducendam esse censuit, non mirabimur. In ipsa autem Italia triades fuisse deorum ut demonstraret, minime ei contigit. Nam ea, quae ex tabulis Iguvinis profert, exempla longe aliter se habere, luce clarius est.

[315]) Pausan. X 51: *Ἐς δὲ τὴν ἐπὶ Δελφῶν εὐθεῖαν ἀναστρέψαντι ἐκ Δαυλίδος καὶ ἰόντι ἐπὶ τὸ πρόσω, ἔστιν οἰκοδόμημα ἐν ἀριστερᾷ τῆς ὁδοῦ, καλούμενον Φωκικὸν, ἐς ὃ ἀπὸ ἑκάστης πόλεως συνίασιν οἱ Φωκεῖς· μεγέθει μὲν μέγα τὸ οἴκημα, ἐντὸς δὲ αὐτοῦ κίονες κατὰ μῆκός εἰσιν ἑστηκότες· ἀναβασμοὶ δὲ ἀπὸ τῶν κιόνων ἀνήκουσιν ἐς ἑκάτερον τοῖχον, καὶ ἐπὶ τῶν ἀναβασμῶν τούτων οἱ συνιόντες τῶν Φωκέων καθέζονται· πρὸς δὲ τῷ πέρατι κίονες μὲν οὐκ εἰσὶν, οὐδὲ ἀναβασμοὶ, Διὸς δὲ ἄγαλμα καὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἥρας· τὸ μὲν ἐν θρόνῳ τοῦ Διός, ἑκατέρωθεν δὲ ἡ μὲν κατὰ*

antiquum exemplum. Ubi si tres dei coniuncti reperiuntur, semper triadem ad exemplar triadis Capitolinae factam esse facillimum est demonstratu[316]).

Quantum autem Graecia ad ipsam religionem Romanam commutandam iam Tarquiniorum temporibus valuerit, notius est quam ut pluribus verbis hoc loco exponam[317]). Cum illi reges templum aedificarent, quod quin ipsi condiderint dubitatio iam non relinquitur[318]), tres deos maxima auctoritate utentes Graeco more coniunxerunt atque tamquam imperii deos coli voluerunt. Nam Capitolinus Iuppiter non idem est qui antiquus „*πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*, sed gubernator et vindex imperii Romani[319]).

δεξιὰ, ἡ δὲ ἀριστερὰ παρεστῶσα Ἀθηνᾶ πεποίηται. Quod ibi Minerva Iovis a parte laeva, in Capitolio a dextra stat, hoc loco nihil refert. Eius modi mutationes interdum occurrunt (e. g. Iovis Victoris cf. supra adn. 197). Secundum Pindarum (fragm. 12 B) sedet Minerva a Iovis parte dextra, cf. deinde Horatii carm. I 12: „Proximos illi tamen occupavit Pallas honores“.

[316]) vd. nos pag. 16 adn. 40.

[317]) Preller, Myth. R. I[3] 16—23; Schwegler, Hist. Rom. I 679 sqq.; Marquardt. Enchir. III p. 37 sqq.

[318]) H. Jordan, Top. Rom. I 2 p. 8 sqq.

[319]) Preller, Myth. Rom. I[3] p. 144: „Diese Götter treten zuerst mit einem Anspruch auf weltliche Macht und Herrlichkeit auf, wie er gleichzeitig von ihren Schützlingen, den Königen, später von den Prätoren, Konsuln und Diktatoren im Namen des römischen Volkes erhoben wurde“; cf. Ambrosch l. c. p. 224 sq.; Schwegler I 698: „Ihr Kult ist der Kult der römischen Staatsidee und des römischen Staatszwecks“.

Typis Guilelmi Pormetteri, Berolini.

DE CAPITOLIIS IMPERII ROMANI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE IV. MENS. NOV. A. MDCCCLXXXII HORA XII

IN PUBLICO DEFENDET

AUCTOR

OSCARUS KUHFELDT

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

THEODORUS LUDWIG DR. PHIL.
THEODORUS HUBRICH STUD. PHIL.

BEROLINI

TYPIS W. PORMETTER

MDCCCLXXXII.

HENRICO JORDANO

PIO GRATOQUE ANIMO

OBTULIT

SCRIPTOR.

Capitolium Romanum postquam diu et acriter a viris doctis disceptatum est utrum fuerit in montis parte ad meridiem conversa an in arce cum nostris temporibus controversia composita sit ita, ut nemini dubium esse possit quin eo montis loco templum fuerit qui proprium Capitolii nomen haberet[1]), operae pretium videtur esse accuratius perscrutari quae supersint vestigia Capitoliorum orbis Romani.

Quod aggredi si audeo primum venia mihi petenda quod fortasse minus praestitero quam qui legent exspectabunt. Res enim topographicae cum ubique fere pendeant ex effossionibus, ut ita dicam, instituendis neque provinciarum antiquitatum usque ad nostra tempora a viris doctis ea qua opus est ratio habita sit, saepius ut ad certum iudicium vocarer fieri non potuisse nemo non mihi concedet. Nihilo setius quaestionem suscepi suadente H. Jordano qui qua est semper comitate et humanitate in studiis discipulorum adiuvandis non solum mea causa viros doctos litteris adiit ut ubi inopia praesidiorum haesitaremus de iis nos certiores facerent sed ipse libros quos nostra in bibliotheca nobis non licuit cum Berolini versaretur inspexit.

Tali igitur auxilio usus quaestionem ita auxisse mihi videor ut Capitoliorum maiorem quam antea factum erat numerum investigarem nonnullorumque vestigia novis testimoniis afferendis firmarem. Licet igitur non plane cumulateque soluta sit, certe provecta est ita, ut de origine Capitoliorum provincialium certum iudicium ferri possit.

Sed antequam ipsum argumentum persequar ratio videtur postulare ut quibus praesidiis nisus ad rem explicandam accesserim quique ante nos eadem in quaestione versati sint paucis exponam. Neque quaedam indigna sunt quae proludendo commemorentur

---

[1]) vd. H. Jordani epist. ad Lancianum annalibus inst. arch. a. 1876 insertam nec non Topogr. urbis Romae vol. I 2 p. 65 sqq.

quo melius quam rationem quaerendi inierimus appareat. Quam ob rem primum agemus de fontibus, deinde de Capitoliis Italiae provinciarumque, denique cultus triadis Capitolinae originem adumbrabimus.

I. De fontibus.

Ac praesidiorum quidem quibus quaestio nostra continetur quinque omnino videmus esse genera, quorum primum est inscriptionum, secundum nummorum, tertium veterum rerum scriptorum, quartum actorum sanctorum, quintum instrumentorum medii aevi tum ecclesiasticorum tum profanorum. Atque inscriptiones, quae cum multum valeant ad omnem antiquitatem illustrandam etiam disputationis nostrae tamquam fundamentum sunt, quod omnes in corpora redactas nondum habemus ego quoque valde doleo. Neque vero quamquam, ut alia omittam, totius mediae Italiae titulos collectos desideramus multo plura ad Capitolia cognoscenda ex iis fore ut enucleentur puto. Mirum autem verboque monitu dignum videtur esse quod tituli quibus tres dei Capitolini coniuncti commemorantur prae aliis titulis sacris rarius quam exspectaveris nobis occurrunt. Quos cum facillimum sit ex corporum inscriptionum indicibus colligere, eos hoc loco congerere iure supersedere me posse arbitratus sum, cum praesertim id mihi agendum existimarem ne commentatio in molem ingentem exscresceret. Quod modo dixi de lapidibus tribus deis positis idem maxime cadit in titulos quibus Iuppiter optimus maximus Capitolinus commemoratur; qui tam raro nobis obvii sunt, ut quater tantum vel quinquies quod sciam reperiantur. Neque tamen is sum qui istius modi inscriptiones ubi reperiantur ibi Capitolium fuisse existimem. Tituli enim votivi nullo exstante templo poni poterant, id quod imprimis factum videmus a militibus in remotis saepe imperii Romani partibus aram cuilibet deo statuentibus. Quam ob rem nisi alia accedunt testimonia vel templorum reliquiae, cavendum ne nimis creduli talibus inscriptionibus plus aequo confidamus. Hanc igitur regulam secuto contigit mihi ut ex lapidibus cum Latinis tum Graecis Capitolia eruerem haec: Ostiense Histoniense Marruvinum Pompeianum (?) Faleriense Faesulanum Veronense Hispalense Carthaginiense Bibense Suense (?) Thuggense Thevestinense Thamugadense Lambaesitanum Uzelitanum Cirtense Sitifense Nysaeum Teum Smyrnaeum. —

Sequuntur nummi qui in Graecia et Asia cum inscriptiones Latinae reperiantur perpaucae maximam habent auctoritatem. Itali enim in civitatem recepti cum nummos cudere vetiti indeque ab Augusto aes aureum argenteumque feriundi potestas facta esset imperatoris, tamen aes argentumque signare magni nominis oppidis velque coloniis Graeciae et Asiae permissu imperatoris aut proconsulis concessum erat[2]). Neque vero libros nummarios quos ediderunt Vaillantius Eckhelius Mionetius excutienti contigit mihi ut plus unum certa quadam fide exemplum eruerem, dico templum Iovis Capitolini Antiochiae, quae urbs est Cariae[3]).

---

[2]) cf. Marquardt. enchir. II p. 36 — Pinderum in actis Acad. litt. Berol. a. 1855 p. 538 sq.

[3]) Memoratu dignum virisque doctis minus notum videtur esse quod in nummis Aphrodisiade et Heliopoli cusis ludorum Capitolinorum mentio fit ita, ut illi quin ibi acti sint dubitatio moveri nequeat. Ecce nummus Aphrodisiensis Gordiano III regnante cusus: *Ἀφροδεισιέων*; in urna magna quae est in mensa quadrata scriptum est: *Γορδιανεῖα Ἀτταλεῖα* et in margine mensae *Καπετώλια* — cf. Mionet. vol. III p. 329 n. 152 — Eckhel. D. N. vol. IV p. 435; 437 — Vaillant. Numism. vett. impp. p. 149. Attalea in honorem Attali Philadelphi, Gordianea in Gordiani Pii Aphrodisiade edita esse praeter alterum nummum apud Mionet. vol. III p. 330 n. 159 docet titulus C. I. Gr. vol. II n. 2801. Certamina igitur quae cum iis coniunguntur Capitolina Aphrodisiadem spectare quis non intellegit? — Nummi autem Heliopolitani sunt hi:

1. nummus Caracallae ap. Mionet. vol. V p. 299 n. 108: in fronte: M. Aur. Antoninus Aug. cum capite Caracallae laureato; in parte aversa: Col. Iul. Aug. Fel. Hel. cum tribus urnis agonalibus palmatis; infra „à l'exergue“: Cert. sacr. Cap. Oec. Isel. Hel.
2. nummus Valeriani l. l. p. 304 n. 136: Imp. Caes. P. Lic. Valerianus P. f. Aug., in parte aversa: Cer. sac. Cap. Oec. Isel. Hel. athleta nudus stat dextra manu in urnam submissa, sinistra palmam gestans.
3. n. eiusdem imperatoris l. l. p. 305 n. 137: Sac. Cap. Oec. Ise; duo viri pallio induti et sedentes capiti quisque coronam imponunt et urnam, in qua duae palmae, manu tenent; media est ara.
4. n. eiusdem imp. l. c. p. 305 n. 138: Intra coronam magnam lauream quam sustinent duae Victoriae scriptum est: Cer. sac. Cap. Oec. Ise. Hel.; infra est urna agonalis.
5. n. eiusdem imp. l. c. p. 305 n. 139: quattuor versibus scriptum est hoc: Col. Hel. Cert. sacru. Capit. Oecu. Isel. Hel. infra est urna agonalis cum tribus palmis.
6. n. Gallieni l. c. p. 305 n. 142 Imp. Caes. P. Lic. Gallienus P. f. Aug., tres urnae cum palmis, infra quas in quattuor versibus Cert. sacr. Cap. Oec. Ise. Hel.
7. n. eiusdem l. c. p. 306 n. 143: Grandis urna cum inscriptione Col. Iul. Aug. Fel. Hel. Cert. sac. Cap. Oec. Ise. Hel.

Quoniam dixi de nummis nunc sermo fiat de rerum scriptoribus; quibus quot debeamus Capitoliorum relationes antequam exponam, quid vocabulum Capitolii significet paucis quaerere non supervacaneum esse videatur. Est enim nomen montis Capitolini ita formatum ut e. g. montis Palatini Esquilini Aventini[4]) idemque ille traxit ex templo Iovis Iunonis Minervae, quod una cum area muris circumclusa singulariter Capitolii nomine ornatum erat[5]). Quod cum ab arce ita differet ut meridionalem haec septentrionalem montis partem occuparet posteris temporibus nomine arcis ex memoria evanescente Capitolii vox tamquam pars potior ad totum montem significandum a rerum scriptoribus usurpata est. Neque vero quin illud vocabulum vere Latinum sit dubitatio esse potest[6]).

His igitur propositis Capitoliorum provincialium relationes cum ad unam omnes pendeant a scriptoribus argenteae, ut ita dicam, latinitatis, qua ratione illi vocabulo usi sint agedum inquiramus. Ac primum quidem tenendum usque ad Antoninorum fere tempora apud rerum scriptores Capitolii nomine nihil aliud nisi templum Iovis Iunonis Minervae significari. At sub exeuntem antiquitatem cum deorum Capitolinorum cultus per totum orbem Romanum disseminatus tanta auctoritate et honore uteretur ut Iuppiter Capitolinus *κατ' ἐξοχὴν* omnis religionis Romanae sum-

---

Ludi Capitolini cum ea aetate Aphrodisiade et Heliopoli agantur, non est cogitandum de illis qui antiquitus Romae in Capitolio fieri solebant (vd. Preller. myth. R.[3] p. 228 sq.). Rectius imitationi fuisse existimabimus ludos quos anno p. Chr. 86 Domitianus institueret, in quibus agendis certamina et musica et gymnica fuisse scimus (vd. Friedlaenderi librum cui inscripsit Sittengeschichte Roms vol. II[5] p. 437, III[5] p. 379 sq.). Aliter se habent ludi quos in colonia Iulia Genitiva Ursonensi lex coloniae Iovi Iunoni Minervae edendos curat (vd. cap. LXX et LXXI in ephem. epigr. vol. II a. 1877: duoviri . . . munus ludosve scaenicos Iovi Iunoni Minervae deis deabusque quatriduom maiore parte diei . . . faciunto). Qui cum dubium non sit quin fuerint et scaenici et circenses, iis imitando exprimi ludos magnos in honorem Capitolii Romani deorum institutos arbitremur necesse est.

4) cf. Jordan. Topogr. Urbis Romae vol. I 2 p. 6 sqq.

5) cf. Mommsenum Bull. inst. a. 1845 p. 124 sq. — Jordanum l. l. I 1 p. 282 II 496.

6) Corssen. libro cui inscripsit: Kritische Nachträge zur latein. Formenlehre p. 276 ita de vocis origine disserit: Capitolium ist entstanden aus Capit-al-iu-m, indem an den Stamm capit-ali- das Suffix -io trat und das a zu o sich verdunkelte wie in nōsco, i-gnō-sco, ignō-ro neben gnā-rus, i-gnā-rus, gnā-r-ig-are, indōs, sacer-dō-s, dō-nu-m neben dā. Praeterea adi H. Jordanum in Hermae vol. IV p. 246 et Topogr. U. R. I 1, 180 adn. 46.

mam repraesentaret[7]), factum videmus ut rei ecclesiasticae scriptores iterum iterumque Capitolium commemorantes religionis Ro-Romanae summam intelligerent[8]). Quodsi Iuppiter optimus maximus gubernator rei publicae Romanae et totius religionis patronus atque defensor putabatur non est cur miremur, quod Christianos ut illi sacrificarent novamque fidem denegarent in Catolium abduci solitos esse legimus. Quibus enim in oppidis Capitolia essent ut Christiani in illud templum denegandi causa ducerentur rei natura postulabat. Quam ob rem ut iis assentiamur qui ea quae de Christianorum deductionibus in Capitolium traduntur ficticia habeant a nobis impetrare non possumus. In Africa enim qui fide Christiana defecissent a Novatianis et Donatistis Capitolinos vocatos esse Pacianus ep. 2 nos edocet. Episcoporum Hispaniae concilium anno p. Chr. 305 Illiberi habitum sanxit *ne quis Christianus ad idolum Capitolii causa sacrificandi ascendat et videat; quod si fecerit pari crimine teneatur; si fuerit fidelis post decem annos acta paenitentia recipiatur*[9]).

---

[7]) Cum enim Romae in area Capitolii deorum maxima pars deinceps a Iove Capitolino hospitio recepta atque aedicularum circa templum numerus auctus esset ita, ut ille totius gregis deorum defensor tamquam atque propugnator existeret, non mirum videtur quod ipse totam religionem praestare dicebatur. Ceterum etiam in coloniis et municipiis aliis diis prope Capitolia aediculas factas esse infra satis docebo.

[8]) Ecce testimonia: Cyprian. epist. LVIIII (ed. Hartel. p. 688, 1) quid superest quam ut ecclesia Capitolio cedat et recedentibus sacerdotibus ac domini altare removentibus. — Lactant. instit. div. lib. I 11,47: sciant ergo Romani Capitolium suum, id est summum caput religionum publicarum, nihil esse aliud quam inane monimentum cf. ibid. l. III 17,12: Capitolium quod est Romanae urbis et religionis caput summum. — Prudent. (ed. Dressel.) apoth. v. 444 ipsa suis Christum Capitolia Romula moerent, principibus lucere deum; cf. c. Symmachum I 625 et quascunque solent Capitolia claudere larvas. — Augustin. de civ. dei l. II 12 itane pluris tibi habenda est existimatio curiae vestrae quam Capitolii, immo Romae unius quam caeli totius? — Isid. Hisp. Etym. lib. XV c. 2 Capitolium Romanum vocatum eo quod fuerit Romanae urbis et religionis caput summum. — Zeno. tract. XIV de spirit. aedif. dom. dei (ap. Mignium patrol. lat. vol. XI § 109) Iudaei fortasse cultius synagogas aedificent, cultius erigant Capitolia. — Simili modo Tertullian. d. spect. c. 12 Capitolium omnium daemonum templum cf. adv. nat. lib. III c. 16. Huc etiam Servius spectat in commento Aeneidis lib. II v. 319: in Capitolio enim omnium deorum simulacra colebantur. Pro capite verbum usurpatur a Chalcidio in translat. Platonis Timaei (ap. Mullach. fragm. philos. Gr. vol. II p. 231) c. 221: (pars animae) tamquam totius corporis capitolium.

[9]) ap. Mansium coll. concil. ampl. tom. II p. 15 c. LIX. Sic concilii

Quae cum ita sint acta quoque sanctorum quibus semel iterumque Christiani in Capitolium ducti esse feruntur non omnis fidei expertia sunt neque habemus quod eorum relationes velut fictas vaniloquasque licet cautionem adhibeamus a limine reiciamus.

Sed alterum quid restat ut repellamus. Vitruvius enim, qui in architecturae libro exemplis nrbis Romae utitur, ad Capitolium Romanum respiciens Iovi Iunoni Minervae ait in excelsissimo loco templa exstrui, unde maxima moenium pars conspiciatur[10]). Quod idem in provinciis, ubi loci natura daret, factum videmus[11]). At contra est ubi Capitolia in plano solo aedificata reperiamus. Iis enim in oppidis, quae in planitie erant, e. g. Capuae, Florentiae, Corinthi, Nemausi, Vesontione nisi in planitie exstrui non poterant. Inde autem quod Capitolium Romanum in editiore loco urbis exstructum et mons Capitolinus ita a natura munitus erat ut castellum quoddam praestaret, factum est ut apud scriptores satis rudes vocabulum Capitolii usum arcis vel castelli capesseret[12]).

Quae opinio per totum medium aevum ita vulgaris, ut saepe numero ei occurramus[13]), adeo non sublata videtur esse, ut etiam-

---

verba intelligenda sunt; illa enim pertinere non ad Capitolium Illiberitanum, quod voluerunt Braunius et Saglio (vide infra) sed ad quodlibet Capitolium nemo non videt.

[10]) vd. lib. I c. 7 cf. Aristid. orat. I, 6 (*εἰς Δία*): *τὰς ἀκροπόλεις ἐξεῖλον Διὶ, πρός τε τὸ τοῦ παντὸς παράδειγμα βλέποντες, ὅτι ἦν αὐτ᾽ς τῶν ἄκρων τοῦ παντὸς οἰκήτωρ* et orat. II 12 (*εἰς Ἀθηνᾶν*): *καὶ εἰσὶν αἱ πόλεις δῶρα Ἀθηνᾶς· ὅθεν δὴ καὶ πολιοῦχος ἅπασι κέκληται· τὰς δὲ ἀκροπόλεις ἐξεῖλον αὐτῇ δικαίως.*

[11]) Quam ob rem Capitolium ascendere ut de Capitolio Romano ita de provincialibus tamquam artis vocabulum in usu est; e. g. cf. Cyprian. lib. de lapsis patrol. Lat. cur. Migne vol. IV col. 484 et Concil. Illib. supra allatum.

[12]) vd. Hieronymi comment. in Esaiam c. 13: arx autem, id est Capitolium illius urbis; Isid. Hisp, Etym.: arx, i. e. Capitolium.

[13]) e. g. Capitolium pro castello adhibetur ab Ademaro Cabanensi histor. lib. III sub a. 1022 (apud Pertzium Mon. VI p. 145): Tunc temporis comes Andegavensis Folco, cum manifeste superare nequiret Arbertum Cenomannis comitem, dolo acciit eum in capitolium Sanctonae urbis quasi in beneficio urbem ipsam ei concederet. Et incautum et nihil mali suspicantem inclusum capitolio nefanda eum cepit. Pro ecclesia vocabulum usurpari reperies apud Pertzium Mon. vol. VIII p. 383, 43 (sub a. 1131): Gregorius multo comitatu episcoporum Leodium venit; ibi . . . usque ad capitolium sancti Lamberti ascendit, missam celebrat.

nunc viri docti nec solum Itali Capitolia pro castellis fuisse sibi persuadeant.

Tandem igitur ut error manifestus e medio tollatur Capitolium nihil nisi templum significare iterum moneo. Sed ut redeamus ad ea quae proposuimus a rerum scriptoribus commemorantur Capitolia haec: Capuanum Beneventanum Narbonense Tolosanum Augustodunense Carthaginiense Corinthium Constantinopolitanum Antiocheum Hierosolymitanum.

Nunc transimus ad acta sanctorum quae inde ab anno 1643 edere coepit Jo. Bollandius, continuaverunt, at non perfecerunt Dan. Papebrochius God. Henschenius alii. Quibus quamquam non is sum qui plurimum fidei habeam tamen prorsus ea esse neglegenda nego. At difficillimum et periculosae plenum opus aleae artem criticam iis adhibere ita, ut certum iudicium ferri queat, cum plerumque ab auctoribus anonymis incerta aetate scripta sint. Tamen hoc quidem pro certo haberi poterit breviora acta antiquiora esse quam quae miraculis fictisque narratiunculis referta vitam mortemque sanctorum enarrent. Cum autem illis brevioribus et antiquioribus actis nisi nomen Capitolii nihil commemoratum habeamus, ea quae ad recentiorem spectant aetatem vera falsis miscent et nomini Capitolii historiam aliquam fabularum mendorumque tam plenam adnectere consueveruut, vix ut quidquam certi his auctoribus de Capitolio statuendum sit. De vita enim et passione eorum qui martyrio coronati erant cum instrumentis ecclesiasticis praeter nomen mortisque brevissimam enarrationem nihil fere ad scriptorum aetatem perveniret, omnia reliqua a posterioribus vitis inserta ficta habeamus necesse est. Quod eo magis probatur quod actorum quae nos habemus maximam partem ante saeculum octavum non compositam esse satis constat.

Nihilo minus cum actorum scriptores antiquorum nomina locorum saepius certa quadam ratione adhibere sciamus[14]) ad ea respicere cogimur. Hoc ut credamus adducimur eo quod Capitolium Capuanum Narbonense Tolosanum Antiocheum cum actis sanctorum tum certis testimoniis firmare possumus.

Illorum igitur scriptores cum vera tradere neque Capitolii nomen ementiri videantur, in reliquis quae pendeant ex actorum

[14]) vd. H. Jordan. Topogr. Rom. vol. II, p. 448; Friedlaender. l. l. vol. I[5], p. 24.

relationibus exemplis rem item se habere si non certum at veri simile esse putaverim.

Exstant autem praeter ea quae modo dixi actorum SS. testimoniis Capitolia Nolae Abellini Ravennae Aquileiae Brixiae Nemausi Remis Treveris Augustae Vindelicum Caesareae in Cappadocia.

Iam superest ut de quinto fontium genere pauca verba faciamus. Antiqua enim religione exstincta cum templa aut in communem usum aut in ecclesias conversa essent, Capitolii nomen adeo in lingua vulgari viguit et ad loca antiqua adhaesit, ut non solum medii aevi emptionum sponsionumque instrumentis aut annalibus commemoretur sed etiamnunc ad ecclesias quasdam sanctae Mariae significandas in usu sit. Romae enim S. Mariae ecclesia quae nunc dicitur in ara caeli inde ab saeculo nono usque ad decimum tertium s. Maria in Capitolio dicebatur[15]). Quae quamquam non fuit loco Capitolii sed arcis, Capitolii nomen cum totus mons non raro ita significaretur recte servavit. Non minus igitur certa ratione idem de ecclesiis s. Mariae quae sunt Florentiae et Coloniae Agrippin. statuemus. Cum enim quod sciam inde a saeculo undecimo usque ad hunc diem cognomen in Capitolio prae se ferant, facere non possumus quin nomen antiquum viguisse neque eo ipso tempore illam significationem ortam esse existimemus. Neque enim, quod ante id tempus non habemus istius modi testimonia, illud cognomen eius aevi a monachis doctis inventum esse quo maiorem auctoritatem ecclesiis tribuerent certo quisquam probaverit[16]).

---

[15]) vd. H. Jordan. Topogr. Rom. vol. II, p. 366; I 2, p. 112 — e. g. *hic* affero chartam anni 1152/53 apud Pertzium Mon. VIII p. 501, 5: Joannes Romanus qui fuerat monachus ... et post abbas sancte Marie in Capitolio Romano.

[16]) Maximi esset momenti, si quis accuratius quae qua aetate antiqua templa in ecclesias converterentur quaesivisset; saepenumero enim occurrimus iis qui uno tamquam ictu religionem antiquam sublatam templaque ecclesias facta esse censeant. Quod inde a saeculo sexto fieri solitum concedo, ante illud tempus saepius factum nego. Primae quidem ecclesiae haud dubie in fundamentis templorum non constitutae sunt. Quamquam enim religio Christiana publica facta erat inde a Constantino regnante, tamen usque ad Theodosii magni aetatem, i. e. ad a. 379 antiqua templa plus minus servata sunt. Quae prima claudebantur templa in oriente partim propter cultus turpitudinem sublata partim a Christianis destructá sunt. Cum autem templa adire et sacrificare pagani vetarentur, templa ipsa ne delerentur decretis imperatorum identidem cautum est, cf. cod. Theod. XVI 10, 15; 18. Anno p. Chr. 408 Arcadius Honorius Theodosius lege sanxerunt ut aedificia ipsa

Usque ad saeculum duodecimum nomen Capitolii Latinum servatum esse leges nonnullae maximam partem emptionum documento sunt. Subinde vocabulum lingua Francogallica ita mutata est ut fieret Capdueil, Chatoyl, Chatol, Chatoul, Chatour, Chateur[17]).

Diximus de fontibus, unde omnis disputatio petenda sit; nunc agedum commemoremus eos qui iis usi sunt, ut iudicari possit quid nos voluerimus, quid praestiterimus. Ac princeps quidem nominandus Ducangius, qui in thesauro medii aevi latinitatis s. v. Capitolium magnum Capitoliorum numerum collegit. Cuius collectionem ad eam rationem exigere non debemus quae iure nostra aetate postulatur, quippe qui in pensitandis scriptorum testimoniis non ea quae opus est cautione utatur. Quod igitur peccavit saepe, non ipsi sed aetati vitio vertendem sit. Cuius relationem cum Braunius maximam partem nullo iudicio adhibito exscripserit, eius librum nihili esse consentaneum. Is enim anno 1849 programma emisit, cui inscripsit: „Die Kapitole, Einladungsprogramm zu der am Geburtstage Winckelmanns stattfindenden Generalversammlung von Altertumsfreunden im Rheinlande.“ Qui cum permulta quae docet ne ipse quidem perlegerit, fit ut liber erroribus refertissimus sit[18]).

---

templorum ad usum publicum vindicarentur (cf. cod. Theod. XVI 10, 19), quae lex anno 435 a Theodosio et Valentiniano ita redintegrata est ut ea quae superessent templa destrui et signo Christi erigendo expiari iuberent, cf. cod. Theod. XVI 10, 25. Verbo igitur monetur ut templa in usum publicum, non in ecclesias convertantur; quam ob rem si ecclesias in fundamentis templorum esse reperiemus, eas ad unam omnes ante quintum vel sextum p. Chr. saeculum non aedificatas esse arbitrabimur. Ad nostram quaestionem quod attinet Capitolium Carthaginiense post annum 408 pro aerario provinciae Africae fuisse scimus. In Capitolio Constantinopolitano signo Christi, quod anno p. Chr. 408 terrae motu decidisse traditur, expiato philosophi scholas habuere. Vesontione et Tolosae Christianis ecclesia non erat in Capitolio, sed prope Capitolium, ne quid dicam de Capitolio Romano, quod numquam ecclesia factum.

[17]) e. g. Narb. provinciae poeta, qui vixit sub finem saeculi XII, nomen fert Pont de Capdueil; cf. histoire générale de Languedoc par Dom. Q. Devic et Dom. J. Vaissete tom. VI p. 165. Cetera vd. infra sub. v. Narbo Martius et Vesontio.

[18]) Ne quis me cupidius in illum invehi putet, errorum exemplum addo. Quod scribit Ducangius l. l. „erant coloniae quasi effigies parvae populi Romani eoque iure habebant theatra thermas Capitolia“, id religiose suae dissertationi (pag. 3) Braunius inseruit; attamen, si Gellium evolvisset, ultima verba scribere non potuit. Gellius enim quod Ducangius tradit si scripsisset, gravissimi nominis haberemus argumentum quaestionis nostrae solvendae. Ceterum quibus complevit libri sui paginas triginta duas praeter pagg. 12—22

Neque igitur dignus est qui nostris temporibus testis atque auctor adhibeatur; tamen si qua in eo laus est, ea est, quod primus quaestionem movit. Multo melior expolitiorque est ea dissertatio, quam Castan anno 1869 de Capitoliis conscriptam actis archaeol. Academ. Sorbonn. inseruit[19]). Optime, ne longus sim in laudando, ille vir doctus Capitolium quod fuit Vesontione pertractavit; at in ceteris rebus tam multa neglexit nec raro erravit, ut nobis quaestionem iterum adire non supervacaneum videretur[20]). Sequitur Saglionis tractatus in thesauro antiquitat. Graec. et Rom. vol. II fasc. VI s. v. Qui cum summa diligentia ut alibi sic hoc loco quaecumque scitu digna viderentur congereret, tamen quae Braunius et Castan profecerant ita conglutinavit veraque falsis commiscuit, ut nostro iure eum negligere possimus. Sic igitur res se habet, cum nos quaestionem aggressuri sumus. Materiam autem sic divisimus, ut primum ageremus de Capitoliis Italiae, deinde Hispaniae et Africae, tum Graeciae Thraciae Asiae, denique Galliae et Germaniae.

II. De Capitoliis imperii Romani.

1. Italia.

Capua.

Tiberium cum anno p. Chr. 26 Roma discessurus Capreas se conferret causam profectionis Capuae Capitolium se dedicaturum interposuisse Suetonius refert[21]). Idem Tacitus de Tiberii profectione verba facturus commemorat[22]). Inter ea, quae anno

---

adeo non ad rem pertinent, ut pro saburra ad numerum paginarum augendum videantur esse.

[19]) Sic enim inscribitur: Le Capitole de Vesontio et les Capitoles provinciaux du monde romain.

[20]) Quamquam enim inscriptiones respexit, tamen Graecas neglexit, Renieri corpus inscriptionum Afric. non ipse perlegit, quo factum est ut Capitoliorum Africae et Asiae nonnulla exempla omitteret.

[21]) Vita Tib. c. 40: Peragrata Campania, cum Capuae Capitolium, Nolae templum Augusti, quam causam profectionis praetenderat, dedicasset, Capreas se contulit.

[22]) Annal. lib. IV, c. 57: Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam, specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto sed certus procul urbe degere.

p. Chr. 40 exstiterunt prodigia, Capuae Capitolium fulmine ictum esse idem Suetonius meminit[23]).

His tanti momenti argumentis addo testimonium ex actis sanctorum depromptum, dico acta SS. Rufi et Carponii[24]).

Verumtamen passionis verba ultima parum sincera et „authentica" sed variis inquinata sunt mendis, quae fidem minuant, neque in altero libro ms. leguntur, ut cavendum nobis sit, ne nimium autoritatis iis tribuamus. Quod enim de fine persecutionis dicitur falsissimum est, cum sub Galerio Maximino Licinio nec non Iuliano eam continuatam esse pro certo habeamus. Deinde Capitolii de incendio quod auctor passionis fabulatur ita verba Suetonii sapit, ut ad fidem narrationis augendam implicitum esse videatur. Licet autem extrema enarratio supposita sit et adulterina, tamen totam reiciendam esse vix putaverim neque plus quam Capuae tum Capitolium fuisse ex actis collegerim. Quamquam quid loquor de fide eorum, cum prae tantis illis testimoniis utrum suspecta sint annon nihil referat. Silii Italici, qui Capitolium commemorat[25]), verba quam nihili sint infra explicabimus.

Haec sunt Capitolii documenta, nunc quid ex iis colligendum sit quaeramus. Ac primum quidem cum Tacitus tum Suetonius nil nisi Tiberium Capuae Capitolium dedicasse dicunt. Aut igitur Capua usque ad id tempus eius modi templo carebat princepsque primae eius dedicationi intererat aut templum casu quodam afflictum restauratum et denuo a Tiberio dedicatum est[26]). Sed dedicare non solum de novo templo sed etiam de quolibet sive primum aedificato sive restituto dicitur. Itaque Castani sententiam, qui cum talia in provinciis templa ex gratia atque favore principum orta esse censeat[27]) Campani Capitolii Tiberium fuisse auctorem sibi

---

[23]) In vita Caligulae c. 57: Capitolium Capuae Id. Mar. de caelo tactum est.

[24]) Apud Bolland. A. SS. VI Kal. Sept. (mensis Aug. tom VI): Sub Diocletiano imperatore et Maximiano Caesare erat persecutio Christianorum in provincia Campaniae, in templo Capitolii Capuae .... Quae acta sunt temporibus Diocletiani imperatoris et Maximiani Caesaris et Casselliani proconsulis qui in Capitolio deserviebat diis sordidissimis. Quod Capitolium civitate Capua orationibus ss. Rufi et Carponii Christus fulmine suo interemit, et ultra non surrexit persecutio paganorum.

[25]) Pun. lib. XI 267: monstrant Capitolia celsa Stellates docent campos Cereremque benignam.

[26]) Capitolium dedicare, reficere, restituere sunt artis vocabula nec solum de Cap. Rom. sed etiam de Capitoliis imperi usurpantur.

[27]) l. c. p. 65. 76.

persuadet, adduci non possum ut sequar. Minime enim illum principem, cum parcus nec raro vel avarus fuisse tradatur, tale opus de sua pecunia exstruendum curasse crediderim, quippe qui ne Romae quidem opera magnificia perficeret[28]). Sed utut res se habet, hoc constat, Tiberii aetate Capuae templum Iovis Capitolini fuisse[29a]). Ex Silii verbis Castan p. 65. 75 loco editiore templum stetisse concludit neque aliter iudicat Belochius[29b]). Ego contra meras esse nugas puto, siquis ex poetae verbis illud efficere velit. Silius enim materiam historicam ex Livio depromptam suis ipsius inventionibus poeticis miscuit atque ornamento mythologico ex Vergilio maximam partem hausto nec raro male adhibito deturpavit atque confudit[30]). Itaque illud Silii: „monstrant Capitolia celsa", cum spectet ad Vergil. Aen. l. VIII 653: „stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat", ille poeta nobis testis locupletissimus esse nequit. Accedit quod antiqua Capua erat tota in planitie, ubi nunc S. Maria di Capua, quo fit ut Capitolium in planitie fuisse censeamus. Perverse autem Belochius templum in excelso loco fuisse cum Silio auctore sibi persuadeat neque intra oppidi muros collis reperiatur, illud extra urbem in Tifatini montis radicibus ponendum statuit[32]). Quod quo melius probet Tacitum, qui templum apud Capuam Iovi Tiberium dedicasse ait, ad partes suas vocat. At ille cum dicit „apud" Capuam idem significat quod Suetonius, i. e. Capuae; praepositione enim apud saepissime utitur, ubi nos exspectaremus „in" aut in nominibus oppidorum secundum praeceptum genetivum[33]). Quae opinio quam falsa sit solo ex inter-

28) cf. Sueton. v. Tib. c. 47.

29a) Neque vero quid sibi velit Belochius intelligo, cum censeat inde quod Silius bellum Punicum describens Capitolii meminerit, illud Capuae fuisse antequam Romani urbem suae ditionis facerent apparere. Hoc igitur tenendum temporibus Capuae liberae Capitolium exstitisse a nullo demonstrari posse.

29b) Liber eius inscribitur: Topographie, Geschichte und Leben der Umgebung Neapels im Altertum, Lips. 1879. vide infra adn. 32.

30) cf. Io. Schlichteiseni dissertationem de fide historica Silii Italici (Regimontii a. 1881).

31) cf. Cic. d. lege agr. II c. 35 § 96 Capua planissimo in loco explicata ac praeclarissime sita.

32) cf. l. c. p. 360: das Kapitol lag also aufserhalb der Stadt. Ein K. in der Ebene können wir uns nun schwer vorstellen, und in der That bezeugt uns Silius die Lage auf einer Höhe. Die nächste Erhöhung des Bodens bei Capua sind aber die Vorhügel des Tifata, und hierhin wird also das K. zu setzen sein.

33) Hic praepositionis usus non reperitur in Taciti scriptis minoribus,

vallo apparet; abest enim ab urbe mons Tifatinus duo circiter milia passuum[34]). Cuius extremis in radicibus, in pago qui nunc Piedimonte dicitur, prope urbem Casertam iam exstat S. Petri ecclesia ex magnifici templi antiqui reliquiis exaedificata, ubi Capitolium fuisse vulgo putatur. Quod spatium cum ipsi Belochio maius videatur templum ad urbem accersiturus fortasse fuisse suspicatur in monte, qui nunc nomen prae se fert Costa delle Monache, cum praesertim Casanova, oppidulum haud procul distans, medii aevi actis publicis Casa Iovis appellata sit. Sed de istius modi opinionibus nugatoriis hactenus. Transimus ad eos qui templum oppidi antiqui intra muros quaerendum esse persuasos se habeant. Quorum iudicia quamquam ad verum investigandum nihil fere afferunt tamen hoc habent laudis, quod aliquid sanae mentis prae se ferre videntur. Caesarius Costa archiepiscopus inde ab anno 1572, qui primus topographiae et antiquitatibus patriae urbis operam dedit et in Michaeli Monachi Sanctuario Capuano formam veteris oppidi emisit, Capitolium ponit non longe a cryptoporticu et theatro, qui locus nunc appellatur La Torre di S. Erasmo. Quem sequitur Franciscus Maria Pratilli, qui fuit ab anno 1684 usque ad a 1771. Illum cum constet inscriptiones inventionumque relationes mentitum operibus suis[35]) immiscuisse, recte Mommsenus inscriptiones ab eo relatas solo tamquam dubias refutavit[36]). Iuxta turrim S. Erasmi anno 1740 detectam esse Pratillius testis est hanc inscriptionem: [d]ianae Capitolinae[37]). Ipse addit in actis publicis medii aevi se legisse prope turrim Capitolii, prope ecclesiam S. Erasmi in Capitolio. Mazzocchius autem quibus de causis ibi potius quam alibi Capitolium quaeratur se nescire profitetur[38]). Anno 1665 Capuae haud procul a theatro repertum est opus anaglyphum, quod etiam nunc Capuae conservatur[39]). Qua in tabula Iuppiter sedens

---

in historiis quinquies, saepissime in libris ab exc. Aug., cf. Draegeri synt. Tacit. p. 36 et Nipperdeium in commento ann. lib. I 5.

34) Si Belochius templum Iovis Capitolini idem esse censet atque Iovis Tifatini, eum credere non veto; at Iuppiter Tifatinus non est Capitolinus.

35) Via Appia prodiit Neap. a. 1745, Consulares Campaniae a. 1757.

36) vd. I. R. N. p. 185. 186.

37) Via Appia p. 288. Idem magnum columnarum ornamentorumque numerum suis temporibus iam exstare addit l. c. p. 278. 287. Sed cum illis ex reliquiis nihil iam reliquum sit vel ementitus est vel omnia perierunt.

38) In mutilum Camp. amphith. tit. p. 258.

39) vd. Mabillon. Mus. ital. p. 103; Mazzocch. l. c. p. 258sq.; Winckelm.

est medius, a dextra Minerva stans, galea et aegide induta manuque hastam gestans, a sinistra Diana stat pharetrata et hastata, non Juno. En igitur hoc testimonium, deos Capitolinos ab Etruria advectos ita se coniunxisse, ut Romae Iovis a partibus staret Iuno, Capuae Diana! Minime. Etenim ut taceam Tuscos regnum ita extendisse olim, ut vel Campanis imperarent, nondum satis constare, triadem Capitolinam ex Etruria originem duxisse Ottfr. Muellero auctore magis credunt viri docti quam probant. Quod enim Iunonis locum in tabula tenet Diana, causa facillima intellectu. Saepenumero enim alios cultus cum Capitolino coniunctos reperies[40]). Quae copulatio plerumque pendet a loci natura vel causa est singularis velut in colonia Ursonensi. Sic etiam intelligendum, quod nostra tabula Diana pro Iunone obvia fit; illa enim Capuae et in Campania magni nominis cultum habebat et in monte Tifatino templo magnifico utebatur[41]). — Quoniam Romanorum aetate Capuae Capitolium fuisse demonstravimus, restat ut paucis qua condicione urbs fuerit inquiramus. Ager Campanus secundo bello Punico cum oppidum a Romanis expugnatum esset civitate dissoluta publicus p. R. factus est ita, ut ante coloniam eo deductam Capua centum quinquaginta fere annos in pagi condicione versaretur. Deduxit autem primus eo coloniam Caesar[42]), quam subinde Augustus aliique imperatores suppleverunt[43]). Erat igitur una ex coloniis militum. Romanorum aetate oppidum valde auctum multitudine hominum abundasse videtur[44]). Certe Ciceronis aetate quasi caput provinciae Romam

Storia III tab. 13. Pluribus de hac tabula disputavit Raoul-Rochettius in altera effossionum Cap. relatione, quam inseruit libro qui dicitur Iournal des Savants a. 1853 p. 280 sqq.

40) e. g. in Col. Iulia Genit. Urson. Iovi Iunoni Minervae additur cultus Veneris. Causa quod Venus ibi tanto honore utitur non est fortuita sed illustratur, si reputamus, quantum venerationis gens Iulia Veneri tamquam matri genetrici obtulerit. Alia si voles exempla cum in corpore inscript. Lat. tum in tabulis pictis reperies plurima. Nonnulla habes apud O. Iahnium Symb. arch. excursu altero. Ex quibus non solum ad triadem Capit. unum aut plures deos saepe accessisse sed ipsam ita commutatam esse videmus, ut vel Iuppiter cederet eiusque locum alius deus, e. g. Hercules seu Mercurius, obtineret. Hoc secum reputans quo modo quis aliter iudicare possit quam triadem Capit. imitationem habuisse ego non video.

41) Momms. I. R. N. 3575.

42) Lib. col. ed. Lachm. p. 231, 19; Sueton. Caes. 81.

43) Momms. I. R. N. praef. tit. Cap., Zumpt. commentat. epigr. vol. I p. 304. 353.

44) Ottfr. Muellerus Etr. I² p. 165 frequentiam et urbis magnitudinem ex dominatione Etruscorum profectam esse censet; sed ut plurima quae libro

ipsam aemulabatur et imitabatur[45]). Bello enim sociali confecto cum omnes Italiae urbes ius aequum et par adeptae essent et Roma, quae ante id tempus metropolis et communis tamquam patria omnium fuerat, ex urbe principe prima inter pares facta esset, provinciarum praecipua oppida ut Roma totius imperii metropolis ita altera quaedam parva suae provinciae Roma et esse et appellari volebant, cum nullo modo insignius possent laudari.

Nola.

Capitolium Nolanum nisi actis sancti Felicis presbyteri nusquam quod sciam commemoratur. Ac duo quidem fuerunt qui s. Felicis nomen prae se ferrent, quorum alterum presbyterum Nolanum[46]) Paulinus tot laudibus extulit et cuius vitam mortemque Gregorius Turonensis lib. I de gloria martyrum cap. 104 pluribus descripsit.

Alter s. Felix, qui actis presbyter Romanus dicitur, vixit atque diem supremum obiit Nolae[47]).

Quorum acta quamquam „veteribus libris mss." tradita feruntur tamen ad nostram quaestionem, cum alio loco Capitolii non mentio fiat, certam fidem praestare non possunt. Sic igitur cum alia oppida respexerimus, Nolae tale templum fuisse non sine veritatis specie esse sed ex illis actis nullo pacto effici posse existimabimus. Cum autem topographiae Nolanae usque ad hunc diem viri docti operam non impenderint, hac in re acquiescere nos oportet, cum praesertim Ambrosius Leo Nolanus, cuius rerum Nolan. liber a 1517

continentur etiam hoc est ingeniosi viri opinatio, quae nullo argumento firmatur.

45) Cic. d. leg. agr. II 32: tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quaeretur; Philipp. orat. XII 3 § 7 quem ad modum nostrum hoc consilium Capua probabit, quae temporibus his Roma altera est; de leg. agr. II 34 Cicero de colonia a. L. Considio et Sex. Saltio Capuam deducta sed anno post sublata disserens colonorum superbiam ita describit: cum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se praetores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse consulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores, non cum bacillis sed ut hic praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus. Erant hostiae maiores in foro constitutae . . . deinde patres conscripti vocabantur; cf. Auson. de clar. urb: illa potens opibusque valens Roma altera quondam.

46) Acta s. Felicis, confessoris presbyteri Nolani, ap. Bolland. XIX kal. Febr. (mens. Ian. tom II, p. 219 sqq.).

47) ibid. p. 232 sqq.

Venetiis prodiit, et Giov. Remondini Capitolii ne verbo quidem meminerint. Sed redeamus unde digressi sumus. Ex duobus qui appellabantur s. Felices, Adonem, qui utriusque acta confusa in unam relationem conglomeravit[48]) si neglexeris, s. Felicem Romanum solum ad nos pertinere cognosces. Cuius actis, cum Nolae vixerit atque mortuus sit, quin illud Capitolium significetur non dubium videtur esse[49]). — Antiquum oppidum erat eodem loco quo Nola quae nunc est idque in planitie[50]). Itaque si Capitolium habuit illud in plano solo fuisse verisimile est. Cum Sulla anno a. Chr. n. 80 Samnium subiceret, in iis erat oppidis, quae ei diutissime maximeque resisterent. Tandem urbe a praesidio deserta atque deleta dictator agros militibus adsignavit[51]), sed coloniam ibi constituisse non videtur, cum Cicero bis in lege contra Rullum agraria praecipuas Campaniae urbes enumerans Nolam silentio praetereat. Cum autem primis imperatorum saeculis urbem non parvi nominis fuisse sciamus, revocanda videtur esse eius magnitudo ad Augustum, qui eo coloniam, quam subinde Vespasianus supplevit, deduxit et cum esset patria sua ornavit atque auxit[52]).

Pompeii.

Vitruvii verbis[53]) confisi Castan l. c. p. 66 et qui illum secutus est Saglio Pompeiis templum Capitolinum fuisse statuerunt. Idem et ego quamquam alias ob causas puto. Ac primum verba Vitruvii

[48]) cf. ibid. p. 220 § III.

[49]) l. c. p. 233 § 1: B. Felix presbyter .. ante praesidem Draccum adductus, cum multa de portentis deorum, quod nihil essent, disputaret, eumque praefectus immolare impelleret, respondit: Inimici estis deorum vestrorum; ad quaecunque enim me deorum vestrorum templa duxeritis, hoc eis eveniet, quod evenit illis, ad quem meum fratrem Felicem vos duxisse paenituit. Sed si vultis probare virtutem domini mei Iesu Christi, me ad Capitolium ire iubete, ut ipsum Iovem principem daemoniorum vestrorum ruere faciam.

[50]) Liv. lib. XXIII 45: Nolam, campestrem urbem, non flumine, non mari saeptam; cf. Sil. Ital. XII 162.

[51]) lib. col. p. 236, 3; Zumpt. l. c. p. 254.

[52]) Merito igitur in numero est duodetriginta coloniarum quas Augustus se ipsum in Italia deduxisse profitetur Mon. Ancyr. I 36. Colonia dicitur I. R. N. 1985. 1997.

[53]) lib. III 2: In araeostylis autem nec lapideis nec marmoreis epistyliis uti datur, sed imponendae de materia trabes perpetuae et ipsarum aedium species sunt barycephalae humiles latae ornanturque signis fictilibus aut aereis inauratis eorum fastigia tuscanico more, uti est ad Circum Maximum Cereris et Herculis Pompeiani, item Capitolii. Sic enim ut intercidatur ipsa

ab utroque male intellecta esse moneo. Ille enim, cum esset architectus Augusti et Romae versaretur, exempla aedificiorum et monumentorum non ex toto orbe congessit sed iis quae Romae erant ad verum probandum semper usus est. Itaque varias aedium species describens araeostylorum fastigia templorum Tuscanico more ornanda esse ait signis fictilibus aut aereis inauratis. Exemplo esse aedem Cereris ad Circum Maximum, aedem Herculis a Pompeio ibidem aedificatam, aedem Iovis Capitolini. Mirum autem esset, si duobus exemplis Roma depromptis tertium aliunde sumere cogeretur. Pompeium Magnum aedem Herculis ad Circum Maximum dedicasse, quamquam plura de illo templo scire non datur, pro certo haberi potest[54]).

Pompeiani fori in parte septentrionali magnis substructionibus aedificium se attolit ita, ut toti foro immineat. Illud templum fuisse non curiam, aerarium vel senaculum, ut quidam viri docti voluerunt, nunc satis constat[55]). Nec solum templum fuisse sed etiam maximum et magnificentissimum inde apparet, quod opportuno loco forum, illam urbis partem gravissimam, superabat. Quam ob rem Iovis Capitolini templum fuisse veri non ita dissimile videtur[56]).

---

rei natura postulat; errant igitur qui interpungere velint sic: ad Circum Maximum Cereris et Herculis, Pompeiani item Capitolii.

[54]) Plin. h. n. XXXIV 57: Herculem qui est apud circum Maximum in aede Pompei Magni; cf. Beckerum Topogr. Rom. p. 477. De Rossius, qui primus multis Herculis aedibus sacris distinguendis operam navavit dissertatione quam inscripsit: dell' Ara massima e del tempio d'Ercole nel foro Boario et monum. Annal. bull. inst. arch. a. 1854 inseruit, ibi p. 33 ita disserit: Perocchè l'appellazione di aedes Pompeii Magni e di Hercules Pompeianus stimo appunto adoperata per distinguere questo tempio dall' altro più famoso rotondo sito anch' esso appo il circo massimo; l'istoria del quale che ora m'accingerò ad indagare, e sopratutto la forma ed architettura diversissima da quella che accenna Vitruvio, non consentono inguisa veruna a Pompeo, che possa esserne creduto il fondatore.

[55]) Overbeck. Pomp. p. 89: Für seine Bedeutung als Tempel spricht die Lage auf dem schönsten Bauplatze der Stadt, seine Orientirung nach der tuskischen Auguraldisciplin, seine gesammte, sehr charakteristische Anlage, die Säulenhalle mit der hinter ihr liegenden Cella, das Vorhandensein der gewölbten favissae zur Aufbewahrung des Tempelgeräthes. Omitto, ne multus sim, quod Nissen. Stud. Pomp. p. 322 de usu aedificii dixit, quippe qui ut saepius ita hoc loco ingenio frenis datis parumque veri similitudinis ratione habita varias de templi usu sententias facillime copulandas censeat.

[56]) Templum pluribus describere omitto, cum accurate descriptum habeas

Anno 1817 in cella tabulae votivae pars inventa est, quae altera parte a Fiorellio reperta nunc paene tota exstat. Titulus Iovi optimo maximo Caligula regnante intra annos p. Chr. 37 et 38 positus hic est: I. [o] m. | pro salute [C. Ca]esaris Augusti | German[ici] [i]mp. pontif. max. | tribunic. p[ote] stat. consulis | ..... octus. p. s.[57]). Eodem anno eodemque loco signum Iovis eximiae magnitudinis detectam esse effossionum relationes tradunt[58]). Hoc simulacrum idem esse quod nunc sit in Mus. Neap. conclavi quod dicitur Tiberii, vulgo putant; at hoc est marmoreum, illud ex lapide alabastrite factum, ut dubium sit num alterum alteri respondeat[59]). Romae in Capitolio templum, quod Catulus dedicaverat, tres cellas habebat duobus parietibus inter se secretas[60]). Nec potest dubitari, quin in templi parte adversa tres fuerint portae, cum Scipio Capitolium prima luce ascendisse et cellam Jovis sibi reserandam curasse feratur[61]). At contra in illo templo Pompeiano aliter res se habere videtur; ibi enim non tres sed una porta latissima cellae introitum aperuisse videtur, id quod nisi Pompeiis deos Capitolinos coniunctos cultos esse declarari non poterit[62]). Tres favissae, quae sunt in parte cellae postica usque ad medium parietem aversum pergentes pro thesauro et basi triadis fuisse vulgo putantur, cum inter se duobus parietibus disiungantur[63]).

Quae cum ita sint, templum Iovis Capitolini fuisse si non verum at veri simillimum videtur[64]). Quod quando aedificatum

---

apud Overbeck. Pomp. p. 62, 65, 89—92; ap. Nissen. Stud. Pomp. p. 320 sqq. et Templ. p. 142, 209; ap. Mazois et Gau „ruines de Pomp.“ vol. III, p. 48—50, ubi cf. formam XXX—XXXVI.

[57]) cf. I. R. N. 2212; Nissen. bull. 1866 p. 7.

[58]) Hist. ant. Pomp. I 3, p. 190: una testa di alabastro anche colossale di un Giove di un bellissimo carattere e con vari frammenti ad essa appartenenti.

[59]) Overbeck. l. c. p. 89, 342 adn. 18; p. 561 adn. 24. Quod Nissen. Stud. Pomp. p. 326 de aliis inventis anni 1818 exposuit, totum falso excogitatum esse, audio esse qui propediem demonstraturus sit.

[60]) Jordan. Topogr. R. I 2, p. 90.

[61]) ib. p. 92.

[62]) ib. adn. 89; cf. Mau Symb. Pomp. p. 205 sqq.

[63]) Overbeck. p. 92; Nissen. Stud. p. 325.

[64]) Licet autem ea, quae de significatione templi hoc loco disputavi, quondam

sit, nunc quaestio fiat. Atque illud ad Oscorum aetatem revocandum esse Nissenius censuit, non probavit. Ut enim templum intra annos 300 et 100 conditum demonstret, unam causam modulum Oscum profert[65]). Omnia ad quae quadret Osca mensura (quae est 0,275 m) aedificia ad Oscos, ad quae Romana (quae est 0,296 m) ad Romanos pertinere neque prius aedificata esse quam Sulla coloniam Pompeios deduceret, pluribus exponere studet. At ratio non constat, cum Mauius, qui iterum templi mensuras exegit, nullo modo pedem Oscum ex mensuris effici recte demonstret[66]).

Neque igitur quisquam temporibus Oscorum Pompeiis Capitolium iam exstitisse adducetur ut Nissenio credat[67]). At contra Overbeckius, cum forum una cum aedificiis ad praecepta Vitruvii optime quadret, illud recentiore quam ceteras urbis partes aetate aedificatum ad coloniam Romanam spectare se persuasum habet[68]). Colonia autem in oppidum bello Marsico captum maleque affectum deducta est a Sulla, dictatoris propinquo, quem Cicero a. u. c. 692 ab accusatione societatis Catilinariae coniurationis defendit[69]).

---

falso disputata videantur, tamen hoc profecisse mihi videor, ut Nissenii errores tollerem, quippe qui maxime id agerem ut Nissenium, qui cum Capitolia ex antiqua Italorum religione orta esse censeat, hoc quoque Capitolium ad Oscos pertinere imaginatus est, nullis argumentis inniti demonstrarem.

[65]) Stud. Pomp. p. 90, 320, 362, 367.

[66]) Symb. Pomp. p. 204 sq. — Nissen. l. c. p. 90 scalarum pronai cellae summam faciens computat 36,44 m. i. e. ped. Osc. 132 et sem. (sive quod p. 365 voluit 36,67 m. i. e. ped. Osc. 133 et sem.). At contra Mauius templi longitudinis summam esse probat a parte dextra 37,01 m., a parte sinistra 36,955 m. Sunt autem 36,988 m. idem quod 134 et sem. ped. Osc. et 37,0 m. idem quod 125 ped. Rom. Itaque numerum Romanum multo veriorem esse quam Oscum luce clarius est.

[67]) Quid autem ille sibi velit cum l. c. p. 326/27 templo nomen Cereris Liberi Liberae indat, ego non intellego.

[68]) l. c. p. 62, 68: „Eine zweite zwischen dem sog. Pantheon und dem Senaculum, sowie eine dritte zwischen dem Chalcidium auf das Forum hinführende Strasse sind durch diese Gebäude durchaus verbaut und in Sackgassen verwandelt, ein Beweis, dass das Forum eine Anlage jüngeren Datums ist als die anderen Theile der Stadt und in seiner jetzigen ganz Vitruvs Vorschriften entsprechenden Gestalt wahrscheinlich erst aus der Zeit der römischen Colonisation, wenn nicht aus derjenigen nach dem Erdbeben vom Jahre 63 stammt."

[69]) Cic. pro Sulla c. XXI 62.

Histonium (Il Vasto d'Aimone).

Sub medium fere saeculum quartum Capitolium restitutum esse a Fabio Maximo, provinciae Samnii rectore, titulus I. R. N. 5242 testatur[70]). Fuit autem Histonium Frentanorum caput neque vero quamquam lib. col. p. 260 colonia appellatur ea condicione fuisse videtur, cum obstent tituli I. R. N. 5250. 5252, quibus municipium, non colonia dicitur.

Marruvium Marsorum (S. Benedetto).

Marsos cum sciamus plerumque vicatim habitasse paucissimasque civitates habuisse, Marruvium, quod erat caput eorum, oppidulum fuisse apparet. Municipii condicione, non coloniae oppidum fuisse indicant tituli I. R. N. 5497. 5502, quare non dubium quin bello sociali confecto eo iure ornaretur. Praeter Capitolii autem nomen nihil compertum habemus[71]).

Abellinum.

Abellini, Hirpinorum olim oppidi, Capitolium commemorant acta SS. Martyrr. Hypolisti (sic!) Crescentii sociorum[72]). Hypo-

---

[70]) [C]apitoliu[m] | [F]abius Maxim[us] | v[ir] c[larissimus] | [i]nstauravit. Lapis repertus est in atrio s. Petri, ubi olim pro gradu ad aediculam Sanctissimi fuit. Titulus quamquam tempus non indicat, tamen aliis ex inscriptionibus, quibus Fabius rector provinciae appellatur, eum illis temporibus floruisse constat. Rectoris enim Samnii nomen ante annum 352 non invenitur, cf. Momms. scr. grom. II p. 206; Wilmans. Ex. n. 732 b. Rector provinciae appellatur Alifis I. R. N. 4758 (= W. 735 c) Telesiae ib. 4850 (= W. 735 d) Saepini ib. 4926 (= W. 735 e) Iuvani ib. 5189 (= W. 735 f). Quibus in oppidis quod vetera aedificia restituisse, nova perfecisse non dicitur causa haec est. Cum initio saeculi IV incuria praesidum vetera monumenta collabi et perire inciperent et illi nova inchoare quam inchoata perficere mallent, Constantinus et qui ei successerunt imperatores lege sanxerunt, ne quis iudicum aut rectorum provinciarum nova opera prius inciperet quam quae senio victa reperata essent; cf. cod. Theod. XV 1 de op. publ. 2 (a. 321); 3 (a. 326); 11 (a. 364); 15 (a. 365); cf. Gothofredum in commento horum titul. Sin autem Constantius anno 326 praeter templorum aedificationes nova opera inchoari antequam vetera restaurata sint vetat, illis temporibus nondum templa eversa fuisse apertum est. Vide nos p. 12 adn. 16.

[71]) I. R. N. 5501: ... Octavius Laena[s] | ... Cervarius P. f. | IIII vir quinq. | viam post Capitoliu[m] | silice sternend[am] ex d. d. p. p. | locarunt idemq[ue] proba[runt].

[72]) apud Bolland. Kal. Maiis (mens. Maii tom II pag. 42sq.); cf. Ughellii Ital. sacr. tom. VIII p. 265/66.

listus Antiochia Abellinum venit, ubi magnam hominum multitudinem ad fidem Christianam convertit. Deinde prope Iovis aediculam ecclesia constructa assidue „praedicat“. Ad senatores Firmium Fortunatum et Faustinum accersitus cum diis sacrificare recusaret a monte Capitolino in forum deiectus et a Iovis pontificibus illusus est[73]. Rogerus in G. Henscheni actorum commento se observasse ait anno 1644 fragmenta quaedam velut ingentia saxa templi Iovis in illo monte Capitolino. Sed ut ut est, certe de his actis idem valet, quod de illis exposui, cum de Capitolio Nolano supra verba feci. Quod ad oppidi ius attinet, Abellinum quamquam a Plinio h. n. III 16,105 colonia non dicitur tamen eo iure fuisse cum ex libro col. p. 219,16 tum ex inscriptiouibus elucet[74]. Cum Plinius taceat, Zumptius[75] coloniam triumviris rectius adiudicat, cum tamen Renierus illam inter duodetriginta Augusti colonias referat[76].

Beneventum.

Orbilium Popillium, plagosum illum Horatii magistrum, cum Beneventi natus esset, cives honoraverunt ita, ut statuam eius in Capitolio ponerent[77]. Sed Capitolii nunc iam ne vestigium quidem exstat. Ioannes enim de Vita, qui thesaurum antiquitatum Benevent. Romae a. 1754 edidit, de Capitolio haec verba facit: at infelicior omnino Beneventani Capitolii sors fuit, cuius cum nihil reliquum spectandum oculis locum etiam ubi fuerit indicasse negatur.

---

[73]) ib. pag. 43 § 2: Quibus verbis commoti Iovis pontifices eum sputis et virgis caesum nonnullis vulneribus plagaverunt. Qui postea vinctis post terga manibus et ad montem Capitolinum perductus in forum deicitur. .... Interea pontifex quidam ex illis, Batillus nomine, dissolutis eius manibus thuribulum ei porrexit, ut Iovis simulacro thus adhiberet.

[74]) I. R. N. 1875: col. Veneria Livia Augusta Alexandriana Abellinatium, cf. n. 1877, 1879—1881.

[75]) l. c. I p. 336.

[76]) cf. Borghes. opp. vol. V p. 257 adn. 3.

[77]) cf. Sueton. de illustr. gram. c. 9: Orbilius ubinam est, litterarum oblivio? Statua eius Beneventi ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus marmorea. — Non solum igitur imperii Romani oppida Capitolia ad exemplum urbis Romae aedificabant sed, quod maximi est momenti, Capitolium Rom. ita imitabantur, ut clarorum virorum statuas eodem loco constituerent. Romae quidem Augusti aetate area templi statuis adeo referta erat, ut ille earum maximam partem in Campum Martium transferi iuberet. Cuius moris alia exempla exstant Hispali nec non Veronae, ubi statua quae diu in Capitolio iacuerat postea in fori celeberrimo loco constituta est; vd. infra.

Erat Beneventum vetus colonia Latina u. c. 486 ad Samnites coercendos et mores Romanos in illas regiones disseminandos deducta[78]. Caesare mortuo triumviri anno 712 coloniam veteranorum eo deduxerunt[79], deduxit autem L. Munatius Plancus, Antonii amicus[80]. Deinde Augustus eam denuo constituit, qua re a Plinio in Augusti coloniarum catalogo coloniae nomine ornatur[81]. Denique Nero, quem novas colonias si non deduxisse at veteres supplevisse scimus, coloniam Beneventanam auxit[82].

Ostia.

Titulus ille C. I. L. VI 479[83], cum Romae in porticu lapid. Vaticani servaretur, ab Henzenio inter inscriptiones urbanas relatus est. Quem non Romam sed Ostiam pertinere nunc primum H. Dessau recte perspexit[84]. Fortasse enim A(ulus) Ostiensis Asclepiades idem est atque unus ex duobus, qui in indice familiae publicae Ostiensis l. c. p. 132 nomen Asclepiadis ferunt. Quod recte si habet, titulum ad Ostiam revocandum luce clarius. Sed ex ipso nomine quo sit referendus apparet. Noster enim non servus sed libertus est. Servi autem, cum nihil nisi unum habeant nomen, si manu mittuntur nomen patronis sibi vindicant ita, ut quo prius unico usi sunt iam cognomen evadat. Quam ob rem cum hoc loco Ostia colonia eum manu mittat, nomen eius gentilicium, quo ex tempore libertus fit, Ostiensis esse debet[85].

Inscriptionem ad tempora imperatorum pertinere inde intelligi potest, quod corporis libertorum et servorum mentio est[86].

---

[78]) Vell. I 14; Liv. epit. 15.

[79]) lib. col. 231, 5.

[80]) I. R. N, 4089.

[81]) lib. III 16, 105; cf. lib. col. 232, 7.

[82]) cf. lib. col. 231, 5. In titulis dicitur col. Julia Augusta Concordia Felix Beneventum cf. J. R. N. 1410.

[83]) A. Ostiensis Asclepiades | aeditus Capitoli signum Martis | corpori familiae | publice (sic!) libertorum et servorum d. d. (= ap. Orellium n. 2850).

[84]) Bull. inst. arch. a. 1881 p. 135 sqq.

[85]) Sic titulo ap. Henzen. n. 6402 libertus senatus Tiburtini dicitur Senatius Nephon eiusque uxor Senatia Flora; n. 6394 liberti coloniae Aeclanensis Maximianus et Marcella vocantur Aeclanius Maximianus et Aeclania Marcella; cf. n. 6395 C. Campanius Ursulus, n. 6396 Pollentia Processa.

[86]) cf. apud Orellium n. 4109: Cn. Sentio Cn. fil(io) Cn. n(epoti) ter. felici ... patrono ... corpora scaphariorum ... et libertorum et servor(um) public(orum).

Nec dubium quin de collegiis funeraticiis cogitandum sit. Coibant enim homines tenuiores ea lege, ut sodalibus ex communi arca stipe menstrua perpensa funeraticium solveretur[87]). Aetate autem imperatorum cum servorum sors ita commutata esset, ut humano genere dignior fieret, iis non solum conubium, ius hereditatis, possessio concessa sed etiam permissu dominorum in collegia tenuiorum recipi concessum est[88]). — Pompeiis, modo contingat ut verum viderimus, Capitolium in parte fori septentrionali aedificatum erat ita, ut illud ab ea parte paene saepiret. Nec aliter rem fortasse se habere Ostiae Nissen iudicat[89]). In area enim quadam oblonga forma, quam ille forum fuisse suspicatur, templum magnis substructionibus exstat, quod cum ad septentriones spectans eam loci partem recludat et loca circumiacentia superet, Iovis Capitolini fuisse videtur. Certe Nissenius, qui templi modulos exegit, eosdem fere esse ac templi Pompeiani contendit. Sed cum ea quaestio nisi plurimis effossionibus institutis solvi nequeat, ultro prodire nobis non datur. — Quod ille Asclepiades aedituus Capitolii dicitur, non mirum est, cum Romae in Capitolio sicuti in omnibus deorum aedibus aeditui essent[90]).

Iam restat ut in condicionem urbis paucis inquiramus. Erat Ostia prima civium Romanorum colonia sub Anco Marcio rege deducta[91]). Quae cum esset portus Romae et urbis tamquam pars integra quin parvam quandam Romae imaginem expresserit dubitatio non datur. Postquam ab Augusto aucta et suppleta erat[92]) subinde Vespasianus Traianus Hadrianus agris militibus assignandis urbem amplificaverunt[93]).

Falerii.

Nunc venio ad oppida Etruriae, in quibus Capitolia fuisse traduntur, quorum condiciones si quis acurate reputaverit haec quoque Capitolia a Romanis originem duxisse mihi concedet. Ac Faleriorum quidem Capitolii meminit titulus Hadriano ter-

---

87) Marquardt. enchir. III 137 sq.

88) Dig. 47, 22, § 2: Servos quoque licet in collegium tenuiorum recipere volentibus dominibus; cf. Momms. de colleg. et sod. p. 102.

89) Mus. Rhen. n. s. vol. XXVIII p. 541.

90) Jordan. topogr. Rom. I 2 p. 37; Orelli syll. insr II p. 507.

91) Liv I 33 XXII 38; Dionys III 44; Cic. de re publ. II 18, 33.

92) Plin. h. n III 9, 56.

93) lib. col. p. 234; Zumpt. l. c. p. 395. 400.

tium consule i. e. anno p. Chr. 119 positus[94]). Quamquam inscriptionibus, quibus tres dei Capitolini commemorantur, Capitolium fuisse minime adducor ut credam, tamen hoc loco addo titulum Faleriis repertum, non quo Capitolium Faleriense confirmem, sed quia omnium qui extra Romam inveniuntur longe antiquissimus videtur esse. In laminae enim parte postica habes haec: Iovei Iunonei Minervai | Falesce quei in Sardinia sunt | donum dederunt magistreis | L. Latrius K. f. C. Sal(ve)na Voltai f. | ... coiraveront[95]).

Falerii, oppidum perantiquum, quod Dionys. I 21 inter vetustissimas Siculorum colonias enumerat, erant in saxo derupto atque arduo[96]). Incolas non omnes Tuscos sed cum Umbris et Sabinos mixtos fuisse Ottfr. Muellerus probare studet[97]). Romani cum urbem obsessam delevissent incolas loco cedere et in planitie habitare coegerunt. Qui cum novum oppidum colonia deducenda condere statuerent, non veterem urbem ea aetate plane desertam incolis impleverunt sed in plano solo coloniam constituerunt eo loco, qui nunc quoque S. Maria di Falari (Falleri) vocatur[98]).

Vetus autem oppidum nunc est Città Castellana. Cum enim triumviri eo coloniam deducerent, non id egerunt, ut gentem coercerent sed ut veteranos agris adiuvarent, quam ob rem coloniam in planitie fuisse facere non possumus quin statuamus[99]).

---

94) Imp. Caesare | Traiano Hadriano | Aug. III cos. | via nova strata lapide | per medium forum pecuar(ium) | a summo vico longo ad | arcum iunctum Capitolio | ex conlatione manipretii | possessorum circa forum et ne | gotiantium item collegia quae | attingunt eidem foro | II viratu .... ap. Wilmanns. Ex. 794; (ap Orellium n. 3314 = ap Morcellium opp. epign. II 3 c. 7 (p. 291) III p. 101).

95) Sylloge inscript. Lat. aevi Rom. rei publ. usque ad C. Julium Caesarem ed. R. Garruccius Aug. Taur. 1875, p. 170 n. 558.

96) Plutarch. vita Camilli c. 9.

97) Etr. I² p. 103.

98) Aliter quidem iudicat O. Muellerus l. c. I p. 104 adn. 104. Verum tamen vidisse mihi videtur G. Dennis Die Städte und Begräbnissplätze Etruriens p. 78sq.; cf. Cluver. Ital. antiq. et Holsten ad Cluv. p. 540.

99) cf. lib. col. p. 217, 5. Iunonis nomen coloniae inditum videtur a Junonis cultu in vetere oppido frequentissimo cf. Cluver It. ant. p. 542; O. Mueller I² p. 103. Praeterea colonia dicitur Plinio h. n. III 51: Falisca col. Argis orta, quae cognominatur Etruscorum.

Hoc habes, lector benevole, specimem dissertationis, quae tota impressa proxime prostabit Berolini apud Weidmannos.

THESES.

I. Cultum Capitolinum Graeco more a Tarquiniis Romae institutum esse contendo.

II. Taciti verba (ann. IV 67):

„ultroque struebantur, qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti"

non recte Nipperdeium interpretatum esse censeo.

III. In Ovid. heroid. epist. XVIII 118:

Iam dudum pecca, si mea fata petis

pro Merkelii lectione legendum esse conicio

Iam dudum peccas, si mea fata petis.

IV. In Ciceronis pro Archia poeta orat. cap. X § 25 (ed. Baiterus et Kaiser) verba: „itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate doneretur, perficere non potuit. Sulla cum . . ." sensu cum careant, sic restituo: „Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere potuit. Non Sulla cum . . ."

VITA.

Natus sum Oscarus Kuhfeldt Spandoviae nonis Sept. anni MDCCCLV parentibus Augusto et Augusta e gente Papiana. Fidei addictus sum evangelicae. Regimonti inde ab anno 1868 frequentavi per novem annos Collegium Fridericianum, quod tum auspiciis viri doctissimi et humanissimi Henrici Wagneri florebat. Vere anni MDCCCLXXVII maturitatis testimonium nactus in academia Regimontana adhuc studiis philologicis me dedi. Per tria semestria proseminarii, per duo seminarii philologici sodalis fui. Scholis interfui quas habebant Proff. Friedlaender, Hirschfeld, Jordan, Lehrs †, Ludwich, Ruehl, Schade, Walter, quibus omnibus, sed maxime Friedlaender, Jordan, Ludwich gratias habeo quam maximas semperque habebo.

Verlag der **Weidmannschen Buchhandlung** in Berlin.

CAPITOL, FORUM
und
SACRA VIA IN ROM
von
H. Jordan.
Mit einer lithographirten Tafel.
8. (62 S.) geh. M. 1. 60 Pf.

Topographie
der
Stadt Rom im Alterthum
von
H. Jordan.
Erster Band, erste Abtheilung.
Mit zwei Tafeln Abbildungen.
8. (X u. 551 S.) geh. M. 6.
Zweiter Band.
8. (XVII u. 680 S.) geh. M. 6.
(Die zweite Abtheilung des ersten Bandes befindet sich im Druck.)

Römische Mythologie
von
L. Preller.
Dritte Auflage
von
H. Jordan.
Erster Band.
8. (VIII u. 455 S.) geh. M. 5.
Zweiter Band. Im Druck.

Druck von W. Pormetter in Berlin C., Neue Grünstrasse 30.